NATIONALBIBLIOTHEK
IN WIEN
122287-B
NEU-

Digitized by Google

Digitized by Google

Österreichische Nationalbibliothek
+Z218239005

Digitized by Google

Digitized by Google

Statuta

Provinciae S. Crucis

CROATIAE - CARNIOLIAE

ORDINIS FRATRUM MINORUM

S. P. FRANCISCI

REFORMATORUM.

UNANIMI CONSENSU

TOTIUS

Venerabilis Definitorii

denuo revisa et ab omnibus

CONVENTUUM GUARDIANIS

pro lege fundamentali totius Provinciae

acceptata.

Goritiae 1871.
Typis Seitz. — Sumtibus nomin. Prov.

122287-B
Digitized by Google

Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus; et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. — *Deuteron. c. XXIII v 21.*

Omnibus Fratribus meis, Clericis et Laicis, praecipio firmiter per obedientiam, ut non mittant glossas in Regula, nec in istis verbis, dicendo, ita voluit intelligi: sed sicut Dominus dedit mihi pure et simpliciter dicere et scribere Regulam et ista verba, ita simpliciter et pure sine glossa intelligatis, et cum sancta operatione observetis usque in finem. — *Testamentum S. P. Franc. circa fin.*

Conserva, fili mi! praecepta Patris tui, et ne dimittas legem Matris tuae. *Prov. VI. 20.*

Itaque Fratres! state et tenete Traditiones; quas didicistis; sive per sermonem, sive per epistolam. *II. Thess. II, 14.*

Digitized by Google

PRAEFATIO.

Cuncta vitae monasticae Instituta, et universi Religiosorum Ordines praeter sacram, quam a suis Fundatoribus receperant, Regulam, ceu firmam vitae, quam amplectebantur, probe instituendae, normam, omni quoque tempore varias habere solebant Ordinationes et Constitutiones, a providis et zelosis cujusque Ordinis Praelatis conditas, quibus omnes ejusdem Instituti, Provinciae aut Monasterii Alumni in cunctis actionibus ad communem ac uniformem vitam determinarentur commodius, ac a Regulae suae transgressionibus praeservarentur securius.

Tales Constitutiones particulares, seu Statuta municipalia habuit olim haec quoque Provincia, quae ad servandam strictius regularem disciplinam inde ab anno 1514. quo orta est, in variis Capitulis tum Provincialibus, tum intermediis plura salubriter ordinavit, quae subin in unum volumen collecta, et tandem anno 1719. Labaci typis vulgata fuerunt.

Ast penultimo saeculi proxime elapsi decennio, dum universa Monachorum Instituta magnas his in regionibus subirent mutationes, Provincia quoque isthaec ingentem experta est vicissitudinem. Complures siquidem Religiosi altiori mandato ex monasteriis fuerunt exteris muniis applicati; alii pedetentim morte e medio sublati; novaque Candidatorum susceptio per plures annos penitus interdicta, ita, ut brevi temporis intervallo eadem haec Provincia, prius numerosa, ab interitu suo non longe jam abfuisse visa fuerit.

Insuper disciplinae regularis observantia labefactata fuit vel quam maxime ex eo, quod suprafata Statuta Provincialia tum altiori ordinatione fuerint interdicta, abrogata et quodammodo extincta, quin alia in eorum locum substituerentur, sicque factum est, ut sensim magis ac magis in oblivionem devenirent, apud eos praesertim, qui tardius Ordini nomen dederunt.

Quapropter ab aliquot jam annorum lustris, quia benignissimus Deus inscrutabili sua providentia hanc Provinciam inter tot adversa conservavit superstitem, omnes, quibus disciplina regularis, Dei honor et animarum salus in deliciis sunt, desiderant vehementer, ut eadem Provincialia Statuta denuo re-

Digitized by Google

visa, et temporum ac locorum, in quibus vivimus, circumstantiis, quantum absque conscientiae, aut S. Regulae laesione licet, accomodata in lucem prodirent.

Quamobrem jam in Capitulo Provinciali anno 1835. Labaci celebrato, firmiter decisum et A. R. P. Ferdinando Vonča, de Provincia optime merito, ad Ministeriatus munus assumpto injunctum fuit, ut ad dictum effectum quantocyus obtinendum, totis adlaboraret viribus, quem in finem ex suprafatis hujus Provinciae Statutis antiquioribus, ex Definitorialibus Constitutionibus posterius conditis, ex aliisque adjumentis ad hunc scopum conducentibus, maximé autem ex Generalium Ordinis Constitutionum collectione Reverendissimi P. Joannis a Capistrano Ministri generalis jussu Romae 1827. typis edita annotationes praevias compilavit, atque in Capitulo Provinciali 1838. Labaci habito, Ven. Definitorio communi consilio cuncta dijudicanda, discutienda, revidenda, atque definienda, substravit.

Sed praelaudato Ministro Provinciali praemature e vivis sublato, Statuta ab eodem compilata et ab omnibus Conventuum Superioribus subscripta typis haud vulgata fuerunt. In Capitulo Provinciali 2. Sept. 1868. celebrato, quaestio illa iterum ventilata fuit et decisum, ut Statuta ista denuo revideantur, hinc inde augeantur, temporum adjunctis, quantum licet, accommodentur, ab omnibus Conventuum Guardianis subscribantur et a ven. Definitorio Provinciae dijudicentur ac discutiantur, quod partim in Capitulo intermedio a. 1869. Castagnavizzae penes Goritiam celebrato, partim in Comitiis Provincialibus die. 30. Aug. 1871. sub Praesidio Commissarii Visitatoris generalis A. R. P. Eusebii Schmid Labaci celebratis, omni maturitate, attentione ac diligentia praestatum est.

Suscipite igitur, Fratres in Christo Jesu charissimi! hanc recentissimam Statutorum Provincialium compilationem CORDE MAGNO, ET ANIMO VOLENTI, *eamque non tantum frequenter volvite ac revolvite, ut praecepta omnia in ea contenta menti alte imprimatis, sed actiones quoque vestras eis conformare, vitamque probe religiosam instituere satagatis:* NON ENIM AUDITORES LEGIS JUSTI SUNT APUD DEUM, SED FACTORES LEGIS JUSTIFICABUNTUR.

Concinnator.

Digitized by Google

ELENCHUS CAPITUM.

Pag.

Regula S. P. Francisci, ejusque Testamentum. 1
Summarium Praeceptorum in Regula contentorum. 13

Caput primum.

§. I. De Instituto S. Fra ncisci 17
§. II. De observantia Regulae 18
§. III. De obedientia 21

Caput secundum.

§. I. De Novitiorum receptione 23
§. II. De Novitiorum educatione 25
§. III. De Fratribus junior. et admittendis ad Profession. 28
§. IV. De vestimentis et Tonsura Fratrum . . . 31
§. V. De Apostatis 33

Caput tertium.

§. I. De divino Officio et oratione mentali . . 35
§. II. De suffragiis Defunctorum et meditatione . 38
§. III. De jejunio et abstinentia 40
§. IV. Quomodo Fratres debeant ire per mundum . 42

Caput quartum.

§. I. De pecunia non recipienda 44
§. II. De Syndico apostolico, seu parente spirituali 45
§. III. De recursu ad amicos spirituales 47

Caput quintum.

§. I. De occupationibus honestis 49
§. II. De studiis et Studentibns 50
§. III. De Lectoribus, Professoribus et scholae Magistris. 53
§. IV. De Bibliothecis et bibliothecariis 55

Digitized by Google

Caput sextum.

pag.
§. I. De altissima paupertate, de Legatis et Missis . 57
§. II. De Eleemosynarum quaesitione et fraterna dilectione. 60
§. III. De religiosa hospitalitate 61
§. IV. De Fratribus infirmis 62

Caput septimum.

§. I. De Sacramento poenitentiae 63
§. II. De Casibus reservatis 64
§. III. De poena fratribus delinquentibus imponenda. 66

Caput octavum.

§. I. De Visitatore, seu Commissario generali . . 71
§. II. De Capitulo Provinciali 73
§. III. De Ministro Prov. Custode ac Definitoribus . 79
§. IV. De Guardianis et Superioribus 80

Caput nonum.

§. I. De requisitis Praedicatorum 82
§. II. De Eleemosyna Concionum intuitu oblata . 83

Caput decimum.

§. I. De Visitatione rerum, locorum ac personarum . 83
§. II. De Correctionibus 86
§. III. De conversatione Fratrum claustrali . . . 87
§. IV. De Praecedentia et Titulis 89

Caput undecimum.

§. I. De vitandis suspectis consortiis 90
§. II. De accessu ad Monialium monasteria . . . 91

Caput duodecimum.

§. I. De sacris Missionibus 91
§. II. De salute animarum procuranda 92
§. III. De horum Statutorum observantia . . . 93
Approbatio horum Statutorum 96

Digitized by Google

Appendix.

pag.
I. Instructio super obligatione votorum simplicium . 97
Natura et extensio votorum simplicium ab a 1857. 102
II. *A.*) Ritus induendi Novitios Ord. Fratr. Minor. 105
B.) Ritus recipiendi Novitios ad Professionem 111
C.) Forma renovandi Professionem, in communi 117
D.) Formula prō induendis Fratribus III. Ordinis domi viventibus 118
E.) Forma Absolutionis, quae dari solet Fratribus in extremis constitutis 120
F.) Forma Absolutionis Generalis, nostris Tertiariis quater per annum et in articulo mortis dari solitae 121
III. *A.*) De Receptione Praelati in loco suae Jurisdictionis ad Ecclesias nostras venientis . . . 122
B.) De Receptione solemni Ministri Generalis et Provincialis 123
Index rerum alphabeticus 127

ERRATA.

Pag.	11	lin.	14	nemoo stendebat	*leye*	nemo ostendebat
„	13	„	31	*post* verbo	„	exprimente
„	15	„	15	curare	„	curam
*	21	„	12	prosplene	„	pro plene
„	22	„	25	faciat ad	„	faciat in libro ad
„	25	„	29	ab causam	„	ob causam
„	—	„	33	sel	„	vel
„	27	„	27	studi	„	studiis
„	28	„	4	rtiam	„	etiam
*	29	„	16	saltemsper	„	saltem per
„	31	„	4	coeleste	„	coelesti
„	40	„	28	iutersint	„	intersint
„	67	„	28	dantaxat	„	duntaxat
„	68	„	12	fusuis	„	fusius
*	68	„	15	excetpo	„	excepto
„	74	„	42	gratios	„	gratias
„	82	„	10	Disereti	„	Discreti
„	83	„	6	Consionatoribus	„	Concionatoribus
„	91	„	24	indictis	„	in dictis
„	94	„	1	Dafinitores	„	Definitores
„	97	„	26	solmnia	„	solemnia
„	107	„	15	Deindo	„	Deinde
„	—	„	33	frandes	„	fraudes
„	111	„	24	quo alternantibus	„	quo decanato alternantibus
„	118	„	3	actotius	„	ac totius
„	120	„	5	mnndo	„	mundo
„	121	„	35	amimam	„	animam

Digitized by Google

„ Mandatum lucerna est, et lex lux, et via vitae increpatio disciplinae. „ *Prov. 6, 23.*

„ Quoniam non ignorat sancta Synodus, quantum ex monasteriis pie institutis et recte administratis, in Ecclesia dei splendoris atque utilitatis oriatur; necessarium esse censuit, quo facilius et maturius, ubi collapsa est, vetus et regularis disciplina instauretur, et constantius, ubi conservata est, perseveret, praecipere, prout hoc Decreto praecipit: ut omnes Regulares, tam viri, quam mulieres, ad Regulae, quam professi sunt, praeceptum vitam instituant et componant; atque inprimis, quae ad suae Professionis perfectionem, ut obedientiae, paupertatis et castitatis, ac si quae alia sunt alicujus Regulae et Ordinis peculiaria vota et praecepta, ad eorum respective essentiam, nec non ad communem vitam, victum et vestitum conservanda pertinentia, fideliter observent. Omnisque cura et diligentia a Superioribus adhibeatur tam in Capitulis generalibus et provincialibus, quam in eorum visitationibus, quae suis temporibus facere non praetermittant, ut ab illis non recedatur; cum compertum sit, ab eis non posse ea, quae ad substantiam Regularis vitae pertinent, relaxari. Si enim illa, quae bases sunt et fundamenta totius Regularis disciplinae, exacte non fuerint conservata, totum corruat aedificium, necesse est." *Conc. Trid. Sess. 25. De Regularibus et Monialibus. Cap. 1.*

Digitized by Google

REGULA

Seraphici Patris nostri

S. FRANCISCI

a sancta Sede Apostolica approbata et confirmata, cum Testamento ejusdem

ET SUMMARIO DE CONTENTIS IN EA.

Approbationis Regulae Testimonium et confirmationis initium.

Honorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratri Francisco, et aliis Fratribus de Ordine Fratrum Minorum; salutem, et Apostolicam benedictionem. Solet annuere Sedes Apostolica piis votis, et honestis petentium desideriis favorem benevolum impertiri. Eapropter, dilecti in Domino filii! vestris piis precibus inclinati, Ordinis vestri Regulam, a bonae memoriae Innocentio Papa praedecessore nostro approbatam, adnotatam praesentibus, auctoritate vobis Apostolica confirmamus, et praesentis scripti patrocinio communimus. Quae talis est; (*a*) in nomine Domini:

I.

Complexus eiusdem Regulae.

Caput I.

Incipit Regula, et vita Fratrum Minorum.

Regula et vita Fratrum Minorum haec est: scilicet Domini nostri Iesu Christi sanctum *Evangelium* observare;

(*a*) Isthaec S. Franc. Regula, illata habetur Corpori Jur. Can. in Decretal. Nicol. III. et Clementin.; eam proinde publice (etiam coram viris Ecclesiasticis, literatisque Saecularibus) legere, nihil obstat.

Digitized by Google

vivendo in *obedientia*, sine *proprio*, et in *castitate*. (*a*) Frater Franciscus promittit obedientiam et reverentiam Domino Papae Honorio, ac successoribus eius *canonice* intrantibus, et Ecclesiae *Romanae*. (*b*) Et alii Fratres teneantur Fratri Francisco, et ejus successoribus, *obedire*. (*c*).

Caput 2.

De iis, qui volunt vitam istam accipere, et qualiter recipi debeant.

Si qui voluerint hanc vitam accipere, et venerint ad Fratres nostros; mittant eos ad suos Ministros Provinciales, quibus solummodo, et non aliis, *recipiendi* Fratres licentia concedatur. Ministri vero diligenter *examinent* eos de fide Catholica, et de Ecclesiasticis Sacramentis: et si haec omnia credant, et velint ea fideliter confiteri, et usque in finem firmiter observare; et *uxores* non habent, vel si habent, et jam Monasterium intraverint uxores, vel licentiam eis dederint, auctoritate Dioecesani Episcopi, voto continentiae jam emisso; et illius sint *aetatis* uxores, quod non possit de eis oriri suspicio: dicant illis verbum S. Evangelii, quod vadant et *vendant* omnia sua, et ea studeant pauperibus erogare; quod si facere non potuerint, sufficit eis bona voluntas. (*d*) Et caveant Fratres et eorum Ministri, ne solliciti, sint de *rebus* suis temporalibus, ut libere faciant de rebus suis, quidquid Dominus inspiraverit eis. (*e*) Si tamen consilium requiratur, licentiam habeant Ministri mittendi eos ad aliquos Deum timentes, quorum consilio bona sua pauperibus erogentur. Postea concedant eis *pannos* probationis, videlicet duas tunicas sine caputio, et cingulum, et braccas, et caparonem usque ad cingulum; nisi eisdem Ministris aliud secundum Deum aliquando videatur. (*f*) Finito vero anno probationis, recipiantur ad *obedientiam*, promittentes vitam istam semper et Regulam observare. Et nullo modo licebit eis de ista Religione *exire*, juxta mandatum Domini Papae; (*g*) quia secundum S. Evangelium: *nemo mittens manum ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei*. Et illi, qui jam

---

(*a*) Vot. tria substantial. — (*b*) Praecept. formal. — (*c*) Refert. ad praecept. de obedient. — (*d*) Condition. aequipoll. pro recip. Frat. — (*e*) Exhort. a malo retrah. — (*f*) Libert. Reg. — (*g*) Praecept. inhibit.

Digitized by Google

promiserunt obedientiam, habeant unam *tunicam* cum caputio, et aliam sine caputio, qui voluerint habere. (*a*) Et, qui necessitate coguntur, possint portare *calceamenta:* (*b*) et Fratres omnes vestimentis *vilibus* induantur; (*c*) et possint ea *repetiare* de saccis et aliis petiis, cum benedictione Dei (*d*) Quos moneo, et exhortor ; ne despiciant neque *judicent* homines, quos viderint mollibus vestimentis et *coloratis* indutos, uti cibis et potibus *delicatis;* (*e*) sed magis unusquisque judicet et despiciat semetipsum.

Caput 3.

De divino Officio, et jejunio; et quomodo Fratres debeant ire per mundum.

Clerici faciant *divinum Officium* secundum ordinem sanctae Romanae Ecclesiae; excepto Psalterio, ex quo habere poterunt Breviaria. *Laici* vero dicant viginti quatuor „Pater noster" pro Matutino, pro Laudibus quinque; pro Prima, Tertia, Sexta, et Nona, pro qualibet istarum horarum septem; pro Vesperis autem duodecim, pro Completorio septem; et orent pro *defunctis.* (*f*) Et jejunent a festo omnium Sanctorum usque ad nativitatem Domini. (*g*) Sanctam vero *Quadragesimam*, quae incipit ab Epiphania, usque ad continuos quadraginta dies, quam Dominus suo sancto jejunio consecravit, qui voluntarie eam jejunant, benedicti sint a Dominio, et qui nolunt, non sint adstricti; (*h*) sed aliam, usque ad *Resurrectionem* Domini, jejunent; (*i*) aliis autem temporibus non teneantur, nisi sexta feria, jejunare (*k*); tempore vero manifestae *necessitatis* non teneantur Fratres jejunio corporali. (*l*) Consulo vero, moneo, et exhortor Fratres meos in Domino Iesu Christo, ut quando vadunt per *mundum*, non litigent, neque contendant verbis, nec alios judicent (*m*); sed sint mites, pacifici et modesti, mansueti et humiles, *honeste* loquentes omnibus, sicut decet. (*n*) Et non debeant *equitare;* nisi manifesta necessitate vel infirmitate cogantur. (*o*) In quamcumque domum intraverint, primum dicant: *Pax huic*

(*a*) Praecept. aequipoll. — (*b*) Etiam aequipoll. — (*c*) Etiam aequipoll. — (*d*) Libert. Reg. — (*e*) Admonit. a malo retrah. — (*f*) Praec. aequipoll. — (*g*) Etiam aequipoll. — (*h*) Libert. Reg. — (*i*) Praec. aequipoll. — (*k*) Refert. ad praec. comm. Eccl. de Ieiun. — (*l*) Libert. Reg. — (*m*) Admonit. a malo retrah. — (*n*) Admonit. ad bon. induc. — (*o*) Praec. aequipoll.

Digitized by Google

domui (*a*); et secundum sanctum Evangelium, de omnibus cibis, qui apponuntur eis, liceat manducare. (*b*)

Caput 4.

Quod Fratres non recipiant pecuniam.

Praecipio firmiter Fratribus universis, ut nullo modo denarios vel *pecuniam*, recipiant, per se vel per interpositam personam. (*c*) Tamen pro *necessitatibus* infirmorum, et aliis *Fratribus* induendis, per amicos spirituales Ministri tantum et Custodes sollicitam curam gerant, *secundum loca*, *et tempora*, *et frigidas regiones*, (*d*) sicut necessitati viderint expedire; eo semper salvo: ut, sicut dictum est, *denarios* vel pecuniam non recipiant. (*e*)

Caput 5.

De modo laborandi.

Fratres illi, quibus gratiam dedit Dominus laborandi, *laborent* fideliter et devote; ita, quod excluso otio animae inimico, sanctae orationis et devotionis spiritum non exstinguant, cui debent cetera temporalia deservire. (*f*) De *mercede* vero laboris pro se et suis Fratribus corporis necessaria recipiant, praeter denarios vel *pecuniam;* (*g*) et hoc humiliter, sicut decet servos Dei, et paupertatis sanctissimae sectatores.

Caput 6.

Quod Fratres nihil sibi approprient; et de eleemosyna petenda: et de Fratribus infirmis.

Fratres nihil sibi *approprient*, nec domum, nec locum, nec aliquam rem (*h*); sed tamquam peregrini et advenae in hoc saeculo, in paupertate et humilitate Domino famulantes, vadant pro *eleemosyna* confidenter. (*i*) Nec oportet eos verecundari; quia Dominus pro nobis se fecit pauperem in hoc mundo. Haec est illa celsitudo *altissimae*

(*a*) Admonit, ad bon. induc. — (*b*) Libert. Reg. — (*c*) Praec. formal. — (*d*) Praec. aequipoll. — (*e*) Repet. praec. formal. — (*f*) Admon. ad bon. induc. — (*g*) Refert. ad praec. formal. de nov. non recip. pecun. — (*h*) Praec. inhibit. — (*i*) Admon. ad bon. induc.

Digitized by Google

paupertatis, quae vos charissimos Fratres meos haeredes et reges regni Coelorum instituit, pauperes rebus fecit, virtutibus sublimavit; haec sit portio vestra, quae perducit in terram viventium, cui, dilectissimi Fratres! totaliter inhaerentes, nihil aliud pro nomine Domini nostri Iesu Christi in perpetuum sub Coelo habere velitis. (*a*) Et ubicunque sunt, et se invenerint Fratres, ostendant se *domesticos* invicem inter se, et secure manifestet unus alteri *necessitatem* suam; quia si mater nutrit et diligit filium suum carnalem, quanto diligentius debet quis diligere et nutrire fratrem suum spiritualem? (*b*) Et si quis eorum in *infirmitatem* ceciderit; alii Fratres debent ei servire, sicut vellent sibi serviri. (*c*)

Caput 7.

De poenitentia, Fratribus peccantibus imponenda.

Si qui Fratrum, instigante inimico, mortaliter *peccaverint*, pro illis peccatis, de quibus ordinatum fuerit inter Fratres, ut recurratur ad solos Ministros Provinciales; teneantur praedicti Fratres ad eos *recurrere* quam citius poterunt, sine mora. (*d*) Ipsi vero Ministri, si Presbyteri sunt, cum misericordia injungant illis *poenitentiam*, si vero Presbyteri non sunt, injungi faciant per alios *Sacerdotes Ordinis*, sicut eis secundum Deum melius videbitur expedire. (*e*) Et cavere debent, ne *irascantur*, et conturbentur propter peccatum alicujus; (*f*) quia ira et conturbatio in se, et in aliis impediunt charitatem.

Caput 8.

De electione Generalis Ministri hujus Fraternitatis, et de Capitulo Pentecostes.

Universi Fratres unum de Fratribus istius Religionis teneantur semper habere *Generalem* Ministrum, et servum totius Fraternitatis (*g*); et ei teneantur firmiter *obedire*. (*h*)

(*a*) Admon. nobil. ad bon. induc. — (*b*) Admon. ad bon. induc. — (*c*) Praecept. aequipoll. — (*d*) Hab. vim praecept. — (*e*) Admon. ad bon. induc. — (*f*) Admon. a malo retrah. — (*g*) Hab. vim praecept. — (*h*) Refert. ad praecept. de Obed.

Digitized by Google

Quo decedente, electio successoris fiat a Ministris Provincialibus et Custodibus in Capitulo Pentecostes, in quo Provinciales *Ministri* teneantur semper in simul convenire, ubicunque a Generali Ministro fuerit constitutum (*a*); et hoc semel in tribus annis, vel ad alium terminum majorem vel minorem, sicut a praedicto Ministro fuerit ordinatum. Et si aliquo tempore appareret universitati Ministrorum Provincialium et Custodum, praedictum Ministrum non esse sufficientem ad servitium et communem utilitatem Fratrum; teneantur praedicti Fratres, quibus electio data est, in nomine Domini alium sibi *eligere* in Custodem. (*b*) Post Capitulum vero Pentecostes Ministri et Custodes possint singuli, si voluerint, et eis expedire videbitur, eodem anno in suis Custodiis semel Fratres suos ad Capitulum convocare. (*c*)

Caput 9.

De Praedicatoribus.

Fratres non *praedicent* in Episcopatu alicuius *Episcopi;* cum ab eo illis fuerit contradictum. (*d*) Et nullus Fratrum populo penitus audeat praedicare, nisi a Ministro Generali huius Fraternitatis fuerit *examinatus*, et adprobatus, et ab eo sibi officium praedicationis concessum. (*e*) Moneo quoque et exhortor cosdem Fratres, ut in *praedicacatione*, quam faciunt, sint examinata et casta eorum eloquia, ad utilitatem et aedificationem populi, annunciando eis vitia et virtutes, poenam et gloriam, cum *brevitate* sermonis; (*f*) quia verbum abbreviatum fecit Dominus super terram.

Caput 10.

De admonitione, et correctione Fratrum.

Fratres, qui sunt Ministri et servi aliorum Fratrum, *visitent* et moneant Fratres suos, et humiliter et charitative *corrigant* eos; non praecipientes eis aliquid, quod sit contra animam suam et regulam nostram. (*g*) Fratres vero, qui sunt *subditi*, recordentur, quod propter Deum abnegaverunt

---

(*a*) Hab. vim praecept. — (*b*) Hab. vim praecept. — (*c*) Libert. Regul. — (*d*) Praec. aequipoll. — (*e*) Etiam praec. aequipoll. — (*f*) Admon. ad bon. induc. — (*g*) Admon. ad bon. induc. —

Digitized by Google

proprias voluntates: (*b*) unde firmiter praecipio eis, ut *obediant* suis Ministris in omnibus, quae promiserunt Domino observare, et non sunt contraria animae suae et regulae nostrae. (*c*) Et ubicunque sunt Fratres, qui scirent et cognoscerent, se non posse regulam spiritualiter observare; ad suos Ministros debeant et possint *recurrere*. (*d*) Ministri vero charitative et benigne eos recipiant, et tantam *familiaritatem* habeant circa ipsos, ut dicere possint eis et facere, sicut Domini servis suis; nam ita debet esse, quod Ministri sint servi omnium Fratrum. (*e*) Moneo vero et exhortor in Domino Iesu Christo, ut *caveant* Fratres ab omni superbia, vana gloria, invidia, avaritia, cura et solicitudine hujus seculi, a detractione et murmuratione; (*f*) et non curent, nescientes *litteras*, litteras discere (*g*), sed attendant, quod super omnia desiderare debent habere spiritum Domini, et sanctam ejus operationem, orare semper ad Deum puro corde, et habere humilitatem et *patientiam* in persecutione et in infirmitate, et diligere eos, qui nos persequuntur, reprehendunt, et arguunt; (*h*) quia dicit Dominus: *diligite inimicos vestros, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos. Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum Coelorum: qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* (*i*)

Caput II.

Quod Fratres non ingrediantur Monasteria Monacharum.

Praecipio firmiter Fratribus universis, ne habeant suspecta consortia vel consilia *mulierum* (*k*), et ne ingrediantur Monasteria *Monacharum*; (*l*) praeter illos, quibus a Sede Apostolica concessa est licentia *specialis*. Nec fiant *compatres* virorum vel mulierum; (*m*) ne hac occasione inter Fratres vel de Fratribus *scandalum* oriatur.

(*b*) Admon. ad bon. induc. — (*c*) — Praec. formal. — (*d*) Praec. aequipoll. — (*e*) Admon. ad bon. induc. — (*f*) Admon. a mal. retrah. — (*g*) Admon. a mal. retrah. — (*h*) Admon. ad bon. induc. — (*i*) Matth. cap. 5. et 10. — (*k*) Praec. formal. — (*l*) Praec. formal. — (*m*) Praec. formal.

Digitized by Google

Caput 12.

De euntibus inter Saracenos, et alios infideles.

Quicunque Fratrum divina inspiratione voluerint ire inter Saracenos et alios *infideles;* (*a*) petant inde licentiam a suis Ministris Provincialibus: Ministri vero nulli eundi licentiam tribuant, nisi eis, quos viderint esse *idoneos* ad mittendum. Ad haec per obedientiam injungo Ministris, ut petant a Domino Papa unum de sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, qui sit *Gubernator*, *Protector*, *et Corrector* istius Fraternitatis; (*b*) ut semper subditi et subjecti pedibus ejusdem sanctae *Romanae Ecclesiae*, stabiles in fide Catholica, paupertatem et humilitatem et sanctum Evangelium Domini nostri Iesu Christi, quod firmiter promisimus, observemus.

Confirmationis Regulae Conclusio.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostrae *confirmationis* infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. *Datum Laterani, tertio Kalendas Decembris; Pontificatus nostri anno octavo.*

Verba exhortatoria

A SANCTO P. FRANCISCO

Fratribus suis zelantibus puram observantiam Regulae dicta:

O! dilectissimi Fratres!
Et in aeternum benedicti Filii!

(*a*) Libert. Regul. — (*b*) Pracc. formal.

Digitized by Google

Audite me, audite vocem Patris vestri:
Magna promisimus,
Majora promissa sunt nobis;
Servemus haec,
Suspiremus ad illa;
Voluptas brevis.
Poena perpetua;
Modica passio
Gloria infinita;
Multorum vocatio,
Paucorum electio,
Omnium retributio. Amen. (*)

Maledictio

ejusdem in Fratres suos scandalose viventes fulminata, qui videlicet in Ordine suo aliquam proprietatem, maxime pecuniarum, vel aliquid contra puritatem Regulae inducunt, et qui alios suis malis exemplis scandalizant, et Ordinem relaxant.

A Te, sanctissime Pater,
Et a tota coelesti Curia,
Et a me pauperculo
Sint maledicti,
Qui suo malo exemplo
Confundunt, et destruunt,
Quod per sanctos Fratres
Hujus Ordinis aedificasti,
Et aedificare non cessas. Amen.

Fratres! horrendum est incidere in manus Dei viventis. *Ad Heb. 10.*

Quicunque hanc Regulam secuti fuerint, pax super illos, et misericordia. *Ad Gal. 6.*

(*) Ex Firmament. trium Ord. Part. I. pag. 17.

Digitized by Google

II.

Incipit Testamentum beati P. Francisci.

Caput 13.

De initio poenitentiae S. P. Francisci.

Dominus dedit mihi Fratri Francisco ita incipere facere poenitentiam: quia cum essem in peccatis nimis mihi videbatur amarum videre leprosos; sed ipse Dominus conduxit me inter illos, et feci misericordiam cum illis. Et recedente me ab ipsis, id quod videbatur mihi amarum, conversum mihi fuit in dulcedinem animae et corporis; et postea parum steti, et exivi de saeculo. Et Dominus dedit mihi talem fidem in Ecclesiis, ut ita simpliciter adorarem et dicerem: *adoramus te, sanctissime Domine Iesu Christe! hic et ad omnes Ecclesias tuas, quae sunt in toto mundo, et benedicimus tibi; quia per sanctam Crucem tuam redemisti mundum.*

Caput 14.

De debita reverentia, Sacerdotibus rebusque sacris semper exhibenda.

Postea Dominus dedit mihi tantam fidem in Sacerdotibus, qui vivunt secundum formam sanctae Romanae Ecclesiae, propter Ordinem ipsorum; quod si facerent mihi persecutionem, volo recurrere ad ipsos. Et si haberem tantam sapientiam, quantam Salomon habuit, et invenirem pauperculos Sacerdotes hujus saeculi in Parochiis, in quibus morantur, nolo *praedicare* contra voluntatem ipsorum: et ipsos, et omnes alios, volo timere, amare, et honorare, sicut Dominos meos; et nolo in ipsis considerare peccatum, quia Filium Dei discerno in eis, et *domini* mei sunt. Et haec propter hoc facio, quia nihil video corporaliter in hoc saeculo de ipso altissimo Filio Dei nisi sacratissimum Corpus

Digitized by Google

ejus et sanctissimum Sanguinem suum, quem ipsi conficiunt, et ipsi soli aliis administrant; et haec sanctissima *mysteria* super omnia volo honorare et venerari, et in locis pretiosis collocare: sanctissima vero nomina et verba ejus scripta, ubicunque invenero in locis illicitis, volo *colligere*, et rogo, quod colligantur, et in loco honesto collocentur. Et omnes *Theologos*, et qui ministrant nobis sanctissima verba divina, debemus honorare et venerari; sicut, qui ministrant nobis spiritum et vitam.

Caput 15.

De revelatione vivendi, secundum formam sancti Evangelii.

Et postquam Dominus dedit mihi curam de Fratribus, nemoo stendebat mihi, quid deberem facere; sed ipse *Altissimus* revelavit mihi, quod ego deberem vivere secundum formam sancti Evangelii: et ego paucis verbis et simplicibus feci scribi; et Dominus Papa confirmavit mihi. Et illi, qui veniebant ad recipiendam vitam istam; omnia, quae habere poterant, dabant *pauperibus:* et eramus contenti tunica una intus et foris repetiata, cum cingulo et braccis; et nolebamus plus habere. *Officium* dicebamus nos Clerici secundum alios Clericos, Laici dicebant Pater noster; et satis libenter manebamus in Ecclesiis pauperculis et derelictis, et eramus idiotae et subditi omnibus. Et ego manibus meis laborabam et volo laborare, et omnes alii Fratres firmiter volo, quod *laborent* de laboritio, quod pertinet ad honestatem; et qui nesciunt, discant, non propter cupiditatem recipiendi pretium laboris, sed propter bonum exemplum, et ad repellendam otiositatem: et quando non daretur nobis pretium laboris, recurrebamus ad mensam Domini, petendo *eleemosynam* ostiatim. Salutationem hanc mihi Dominus revelavit, ut diceremus: *Dominus det tibi pacem.*

Caput 16.

De cautelis, a Fratribus continuo observandis.

Caveant sibi Fratres, ut Ecclesias et habitacula, et omnia alia, quae pro ipsis construuntur, penitus non recipiant, nisi essent secundum sanctam *paupertatem*, quam in

Digitized by Google

regula promisimus; semper ibi hospitantes tamquam advenae et peregrini. Praecipio firmiter per obedientiam Fratribus universis, quod ubicunque sunt, non audeant petere aliquam *litteram* in curia Romana per se vel per interpositam personam, neque pro Ecclesia, neque pro aliquo loco, neque sub specie praedicationis, neque pro persecutione suorum corporum; sed ubicunque non fuerint recepti, *fugiant* in aliam terram, ad faciendum ibi poenitentiam cum benedictione Dei.

Caput 17.

De obedientia praestanda; ac Officio persolvendo.

Firmiter volo *obedire* Generali Ministro, et illi Guardiano, quem sibi placuerit mihi dare, et ita volo esse captus in manibus suis, ut non possim ire vel facere ultra voluntatem suam; quia dominus meus est. Et quamvis sim simplex et infirmus; tamen volo semper habere *Clericum*, qui mihi faciat officium, sicut in regula continetur. Et omnes alii Fratres teneantur per obedientiam obedire *Guardianis* suis, et facere officium secundum regulam; et si qui inventi essent, qui non facerent officium secundum regulam, et vellent alio modo variare, aut non essent Catholici, omnes Fratres ubicunque sunt per obedientiam teneantur, quod ubicunque invenerint aliquem ipsorum, proximiori *Custodi* illius loci, ubi ipsum invenerint, debeant praesentare. Et Custos teneatur per obedientiam ipsum fortiter custodire, sicut hominem in vinculis die noctuque, ita quod non possit eripi de manibus suis, donec in propria persona sua ipsum praesentet in manibus sui *Ministri:* et Minister teneatur firmiter per obedientiam mittere ipsum per tales Fratres, qui die noctuque custodiant ipsum, sicut hominem in vinculis; donec repraesentent ipsum coram *Domino Ostiensi*, qui est dominus Protector et Corrector istius Fraternitatis.

Caput 18.

De Regula simpliciter observanda; et in Capitulis una cum Testamento legenda.

Et non dicant Fratres: haec est alia regula; quia haec est recordatio, admonitio, et exhortatio, ac meum *Testa-*

Digitized by Google

mentum, quod ego Frater Franciscus parvulus vester facio vobis Fratribus meis benedictis propter hoc, ut regulam (quam Domino promisimus) melius *catholice* observemus. Et Generalis Minister, et omnes alii Ministri, et Custodes, teneantur per obedientiam in istis verbis non addere vel minuere; et semper hoc scriptum *habeant secum* juxta regulam: et in omnibus Capitulis, quae faciunt, quando legunt regulam, legant et ista verba. Et omnibus Fratribus meis Clericis et Laicis praecipio firmiter per obedientiam, ut non mittant *glossas* in regula nec in istis verbis, dicendo: ita voluit intelligi: sed sicut Dominus dedit mihi pure et simpliciter dicere et scribere regulam et ista verba, ita simpliciter et pure sine glossa *intelligatis*, et cum sancta operatione observetis usque in finem.

Benedictio testamentaria.

Et quicunque haec observaverit, in coelo repleatur benedictione altissimi Patris coelestis, et in terra repleatur benedictione dilecti Filii sui cum sanctissimo Spiritu Paraclito, et omnibus virtutibus coelorum et omnibus Sanctis. *Et ego Frater Franciscus parvulus vester et servus; quantumcunque possum, confirmo vobis intus et foris istam sanctissimam benedictionem in aeternum Amen.*

Summarium contentorum in S. Regula.

Primum status nostri substantiale fundamentum est Evangelica servare consilia, quae in Regula sunt expressa, et eo modo et forma, prout in ipsa posita sunt. Unde assertive dicendum est, nihil esse in Regula, quod sub *mortali culpa*, virtute Voti regularis obbliget professores; nisi quod sub praeceptoriis verbis in ea ponitur, ut *praecipio*, *injungo per obedientiam:* vel sub verbo vim praecepti, ut dicendo, *teneantur:* vel sub verbo inhibitorio, seu prohibitorio, ut est illud sexti cap., *Fratres nihil sibi approprient:* vel nisi sit de illis aequipollentibus per *Clementem* V. in sua declaratione super Regulam Fratrum Minorum, quae incipit: *Exivi de Paradiso* etc specificatis et expressis. Ergo praeter tria Vota substantialia et solemnia *Obedientiae*, *Paupertatis*, et *Castitatis* in Regula nostra continentur 25 *Praecepta sub*

Digitized by Google

peccato mortali obligantia, nimirum: VII Praecepta formalia. II Inhibitoria. IV Habentia vim praecepti. XII Aequipollentia praeceptis.

Praecepta formalia:

1. Quod totus Ordo teneatur praestare obedientiam et reverentiam Domino Papae et Romanae Ecclesiae. *Cap* I.

2. Quod Fratres nullo modo denarios, vel pecuniam recipiant. *Cap.* IV.

3. Quod Fratres obediant suis Ministris in omnibus, quae promiserunt Domino observare. *Cap.* X.

4. Quod Fratres non habeant suspecta consortia mulierum. *Cap.* XI.

5. Quod non ingrediantur Monasteria Monacharum *Cap.* XI.

6. Quod non fiant compatres virorum, aut mulierum. *Cap.* XI.

7. Quod Ministri petant unum de Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, qui sit Gubernator, Protector, et Corrector istius Fraternitatis. *Cap.* XII.

Inhibitoria:

1. Quod nullo modo liceat Fratribus de ista Religione exire. *Cap.* II.

2. Quod Fratres nihil sibi approprient. *Cap.* VI.

Habentia vim praecepti:

1. Quod Fratres teneantur recurrere ad Ministros Provinciales pro Casibus reservatis. *Cap.* VII.

2. Quod Fratres habeant unum de Fratribus istius Religionis in Generalem Ministrum etc. *Cap.* VIII.

3. Quod Ministri et Custodes teneantur in simul convenire in Capitulo Generali pro electione Successoris Generalis Ministri. *Cap.* VIII.

4. Quod si aliquo tempore appareret universitati Ministrorum Provincialium, et Custodum, praedictum Ministrum non esse sufficientem, debeant eligere alium *Cap.* VIII.

Digitized by Google

Aequipollentia:

1. Quod Fratres habeant unam tunicam cum capucio, et aliam sine capucio, qui voluerint habere. *Cap.* II.

2. Quod illi tantum, qui necessitatibus coguntur, possint portare calceamenta. *Cap.* II.

3. Quod vilibus vestimentis induantur. *Cap.* II.

4. Quod Clerici faciant divinum Officium secundum ordinem Sanctae Romanae Ecclesiae: et Laici dicant *Pater noster*. *Cap.* III.

5. Quod Fratres jejunent a Festo omnium Sanctorum usque ad Nativitatem Domini, sanctam Quadragesimam Resurrectionis, et in sextis Feriis totius anni. *Cap.* III.

6. Quod non equitent, nisi manifesta necessitate, aut infirmitate cogantur. *Cap.* III.

7. Quod Ministri et Custodes solicitam curare gerant pro necessitatibus infirmorum, et aliis Fratribus induendis. *Cap.* IV.

8. Quod Fratres serviant Fratribus infirmis. *Cap.* VI.

9. Quod Fratres non praedicent in Episcopatu alicujus Episcopi, cum ab eo illis fuerit contradictum. *Cap.* IX.

10. Quod nullus Fratrum populo audeat praedicare, nisi a Ministro Generali hujus Fraternitatis fuerit approbatus. *Cap.* IX.

11. Quod ubicunque sunt Fratres, qui scirent et cognoscerent, se non posse Regulam spiritualiter observare, possint, et debeant ad suos Ministros recurrere. *Cap.* X.

12. Omnia, quae ponuntur in Regula, quoad formam habitus tam Novitiorum, quam etiam Professorum, et ad modum receptionis, ac professionis spectantia, in quo multae conditiones obligatoriae comprehenduntur. *Cap.* II.

Testamentum S. P. N. Francisci

Non obligat nos sub *culpa mortali* ad sui observantiam, quod et *Gregorius* IX. et *Nicolaus* III. expresse testantur. Ob reverentiam tamen Seraphici Patris, decet nos

Digitized by Google

illud pro virili observare. Nec ad alia consilia Evangelica tenentur Fratres, quam quae (ut dictum est) in Regula ponuntur. Eo tamen amplius tenentur, quam caeteri Christiani, quo statum perfectionis profitendo, seipsos in holocaustum et sacrificium medullatum Domino obtulerunt per verum mundanorum omnium contemptum, et conari debent pro viribus, ut ea observent, cum maxime serviant ad ipsam perfectionem assequendam.

Digitized by Google

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

Incipiunt Constitutiones seu Statuta Provinciae S. Crucis Croatiae-Carnioliae Ordinis Minorum S. P. Francisci Reformatorum.

Prooemium.

Omnia haec Statuta, Ordinationes, Constitutiones et Decreta praecipue in S. Regula nostra fundantur et ex Declarationibus Nicolai III. „ *Exiit qui seminat etc.*, Clementis V. „ *Exivi de Paradiso etc.* „ aliorumque Summorum Pontificum sunt compilata, innituntur que Expositioni Regulae ac laudabili diversarum Provinciarum reformatarum consuetudini.

CAPUT PRIMUM.

Regula et vita Fratrum Minorum haec est, scilicet D. N. I. C. sanctum Evangelium observare, vivendo in obedientia, sine proprio et in castitate.

§. I. *De Instituto S Francisci.*

Insignis Christi sectator, et fidelis Dei servus Beatus Franciscus, inclytus Ordinis Fundator, et Rector, condens eam Regulam, quae et coelestis disciplinae semitam parat ad vitam, et felicitatis aeternae aditum pandit ad Gloriam, Evangelicam vivendi normam, quam ex Evangelio alte didicerat, divinitus excitatus elegit, sibique ac Regulae suae Professoribus perpetuo servandam proposuit. Dum enim una dierum inter missarum solemnia legeretur Evangelium illud, in quo Discipulis ad praedicandum missis, Evangelica norma in vivendo praescribitur; ne videlicet possiderent aurum, vel argentum, nec in zonis pecuniam, nec peram deferrent in via, nec duas tunicas haberent, nec calceamenta, nec virgam; mox in ejus modi verborum auditu, tanta eum virtus Spiri-

Digitized by Google

tus Christi perunxit et induit, ut praefatam vivendi normam sibi elegerit. Illico enim calceamenta deposuit, rejecit baculum, peram, pecuniam abdicavit, unaque contentus tunica, pro cingulo funem sumsit, omnem solicitudinem cordis apponens qualiter audita perficeret et Apostolicae rectitudinis Regulae seipsum per omnia coaptaret.

§. II. *De observantia Regulae.*

Quamvis summa sapientia et bonitas Dei Creatoris ac Domini sit, quae conservatura, gubernatura, atque promotura est in suo sancto servitio hanc minimam Provinciam, prout dignata est, eam ante annos trecentos et amplius inchoare; ex parte vero nostra interna charitatis et amoris illius lex, quam Spiritus sanctus scribere, et cordibus imprimere solet, potius, quam ullae externae Constitutiones, ad id adjutura sit: quia tamen suavis dispositio divinae providentiae creaturarum suarum cooperationem exigit, et quia Sanctorum exempla, atque ratio ipsa ita nos docet, necessarium esse arbitramur, Constitutiones denuo imprimi, quae juvent ad melius procedendum in via incepta divini obsequii juxta Seraphici Instituti nostri rationem.

Et licet olim contra puram Regulae observantiam tempus multa intulerit Privilegia; illa tamen Ordo et horrebat et rejiciebat, fultus Bulla *Urbani VIII.*, data sub 1. Martii 1625. *Sacrosanctum Apostolatus Ministerium*, qua cuncta Privilegia, Constitutiones et Indulta, sive per litteras apostolicas, etiam motu proprio, sive vivae vocis oraculo concessa, puritati Regulae, aut Declarationibus *Nicolai III.* et *Clementis V.* quomodolibet adversantia, penitus eliminat, cassat et annullat; quamque tardius firmarunt *Innocentius XI.* Constitutione sub 20. Novembris 1679 edita: *Sollicitudo pastoralis*, et *Innocentius XII.* Bulla: *Alias a felicis recordationis.*

Hanc porro datam divinitus Regulam, sine cujus observatione, postquam sponte eam amplexati sumus, ac solemniter vovimus, salvari non possumus, uti novimus, acceptamus puram ab omni privilegio defaecatam; in qua quidem Superiores Ordinis et Praelati, occurrente casu particulari supposita legitima causa, cum subditis valeant dispensare; extra casum autem manifestae necessitatis, ex

Digitized by Google

improviso emergentis, nullus particularis seu subditus, audeat equitare, calceamentis indui, plures duabus tunicis habere, jejunium solvere et in Regulae praecepto secum dispensare.

Monemus serio omnes, ut in legendis revolvendisque Expositoribus S. Regulae seduli sint et diligentes, cum ignorantia Regulae et praeceptorum ejus in professoribus ipsius nullam valeat parere excusationem.

Cum autem anno Domini 1688 sub primo Provincialatu quondam Patris *Antonii Lazari* Reformatio ad nostram Provinciam de consensu et expresso mandato gloriosae memoriae Augustissimi Imperatoris *Leopoldi I.* et Eminentissimi S. R. E. Cardinalis *Alderani Cybo* Ordinis Protectoris vigilantissimi, annuente Reverendissimo Patre *Carolo Francisco Varesio* tunc Familiae Cismontanae Commissario generali, salubriter introducta, a tota Provincia unanimi voto acceptata, et ab *Innocentio* XI. Summo Pontifice confirmata fuerit, prout videre est ex ejusdem Bulla inferius de verbo ad verbum inserta; ne in solo Reformationis nomine videamur gloriari, Constitutiones, Decreta et Statuta, variis in Capitulis tum Provincialibus, tum intermediis ordinata, collecta et anno Domini 1719. Labaci typis impressa, ac in Capitulo Provinciali initio mensis Sept. 1838. Labaci celebrato denuo in pleno Definitorio revisa, atque temporum circumstantiis, quantum licuit, accomodata, hoc anno iterum ventilata et hinc inde aucta, reimpressa damus in hoc volumine, ab omnibus inviolate observanda.

BULLA

Reformationis introductae ac acceptatae confirmatoria.

Innocentius XI.

ad futuram rei memoriam.

Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius *Joannes Baptista Salvago*, Procurator generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia Reformatorum nuncupa-

Digitized by Google

rum, quod cum alias tunc existentes Fratres Provinciae Carniolicae dicti Ordinis, de Observantia nuncupati, purius et arctius sub Regula, quam dictus S. Franciscus, dum in humanis ageret, professus fuerat, vitam ducere desiderarent, tum pariter existentes Provincialis, nec non Custos, Definitores et Vocales omnes ejusdem Provinciae, Decretis a Venerabili Fratre *Nostro Alderano* Episcopo Ostiensi S. R E. Cardinale *Cybo* nuncupato, dicti Ordinis apud Nos et Sedem Apostolicam Procuratore, ac dilecto Filio Commissario generali Familiae Cismontanae ejusdem Ordinis circa praemissa editis inhaerentes, unanimi consensu in Capitulo Provinciali dictae Provinciae novissime celebrato sese in posterum sub strictiori observantia vivere, ac Reformatos nuncupari velle, decreverunt et declararunt, et alias, prout in Decreto die 25. Augusti proxime praeteriti desuper facto, et ab omnibus Capitularibus subscripto, uberius dicitur contineri. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, dictus Joannes Baptista Procurator generalis Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat ac Provinciae praetactae gubernium felicius imposterum dirigatur, Apostolicae Confirmationis Nostrae patrocinio communiri summopere desideret. Nos ejusdem Joannis Baptistae Procuratoris generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus, ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium Praepositorum, qui Commissarium generalem praefatum audierunt, consilio Decretum supra expressum Auctoritate Apostolica tenore praesentium confirmamus et approbamus, illique inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac omnes et singulos juris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus: decernentes, easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscun-

Digitized by Google

que judices ordinarios et delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, nec non quatenus opus sit Provinciae et Ordinis praetactorum, aliisve quibusvis etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris Apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus prosplene et sufficienter expressis, et ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice duntaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscunque. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 26. Aprilis MDCLXXXIX. Pontificatus Nostri anno decimo tertio.

J. F. Albanus.

---

§. III. *De obedientia.*

1. Primum, quo perfici summo studio debemus, est obedientia. Cum ea sit hujus virtutis dignitas et momentum, ut in ejus absoluta perfectione praestantissimos Beatissimus Pater noster esse voluerit filios suos, inficiari non possumus, haud exiguum esse, quod in multis desideretur. Quo igitur ad perfectionis hujus apicem contendatur; suppleaturque, quidquid uspiam deesse potest, haec visa sunt suggerenda, atque, ut reipsa in usum venirent, sedulo commendanda.

2. Tanta erat S. P. N. Francisci ad Summum Pontificem, ad Romanam Ecclesiam, ad Praelatos et Superiores obedientia, ut eam ipsemet humiliter semper, promptequeexhibuerit, et ab omnibus suae Regulae Professoribus praestandam docuerit, et praeceperit. Proinde piae et humili sancti Parentis voluntati inhaerentes ad supra dictam obedientiam omnes Fratres teneri volumus, monentes omnes in Domino, ut propriam voluntatem tanquam venenum detestantes suorum Superiorum judicio libenter et exacte acquiescant, quia: *Melior est obedientia quam victimae, per has*

Digitized by Google

enim, dicit s. Gregorius lib. 35. Moral. Cap. 12. *aliena caro, per illam vero propria voluntas mactatur*. Unde obediens non est, qui obediendo proprium sequitur judicium.

3. Nullus e Conventu egredi praesumat, nisi ex causa rationabili, et ordinarie cum socio, licentiaque singulis vicibus a Superiore impetrata, et benedictione accepta. Superior autem exituro terminum redeundi praefigere poterit, sociumque si visum fuerit adjunget, non petentis rogatu, sed arbitrio suo; licentiae vero generales secundum Statuta generalia nulli prorsus concedantur.

4. Declaramus, quod, qui de licentia Superiorum suorum ad aliquem locum proficiscens, alio vel alia via vadit, quam sibi per facultatam liceat, quique tempus ex facultate praescriptum excedit, in poenam incurrat, vel levem, vel gravem, prout plus, minusve Superioris judicio a recta via declinaverit, aut praescriptum tempus sine manifesta necessitate excesserit: quae omnia in Statutis generalibus fusius explicantur.

5. Mandamus, ut Fratres accedentes civitatem, vel locum, ubi Conventus noster extat, directe se conferant ad Conventum, nec ad ullam domum prius divertant, minus negotia pertactent.

6. Fratres adventantes Superiori locali litteras obedientiales exhibeant, praesertim aliarum Provinciarum, qui eas usque ad discessum horum conservet, et describi faciat ad id deputatum, cum nota adventus, negotii et discessus eorumdem; exclusa tamen nunquam charitatis, prudentiae ac discretionis virtute.

7. Qui absque sufficienti ratione Superiori locali officium aliquod conventuale v. g. cellarii, Sacristae etc. rejecerit, seu resignaverit, readstringatur ad illud poenis etiam pubblicis.

8. Denique quia cum obedientia Summo Pontifici et Ordinis nostri Superioribus Generalibus et Provincialibus etc. iis in omnibus praestanda, quae ad Spiritualia et Regularia spectant, salva semper consistat obedientia et subjectio, quam dictante lege tam naturae quam gratiae Potestatibus saeculi debemus in omnibus iis, quae ad hanc vitam temporalem, Regularia externa et ordinem disciplinae publicae pertinent, ita ut *reddamus Caesari, quae sunt Caesaris et Deo, quae sunt Dei*, juxta illud Apostoli ad Rom. 13.: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas,*

Digitized by Google

nisi a Deo etc. hinc summopere caveant Fratres, ne vel in minimo erga hanc obedientiam et subjectionem sint refractarii; imo potius verbo, praedicatione et exemplo reliquis subditis saecularibus in his praefulgeant, *non solum propter iram, sed etiam* vel maxime *propter conscientiam;* hinc bonas tantum ephemerides publicas, a viris catholicis et conservativis editas, legant.

9. Prohibetur idcirco Fratribus universis, ne de rebus politicis, vel ad regimen politicum spectantibus, colloquia misceant cum saecularibus, et si occasionaliter talibus colloquiis interesse contigerit, nullum approbationis, laudis, beneplaciti vel applausus signum prodant, sed silentio suo testatum faciant, quod aegre et moleste ferant tales discursus de rebus ad vitam religiosam et salutem aeternam haud spectantibus. Et si forte quasi cogantur dicere, quid ipsi sentiant, loco responsionis recitent Cap. XIII. Ep. ad Rom.

CAPUT SECUNDUM.

De his, qui volunt vitam istam accipere et qualiter recipi debeant.

§. I. *De Novitiorum receptione.*

1. Quum Provincia haec non subsidiariam tantum in singulis Conventibus animarum curam exercere teneatur, sed quaedam etiam Claustra ordinariam, et Parochiarum administrationem sibi adnexam habeant; et quum scholarum tam popularium, quam gymnasialium provisio ab altiori Potestate eidem clementer concredita sit, in receptione Novitiorum, qui pro Clericis adsumuntur, non vitae solum candoris, sed constitutionis etiam physicae, ingenii, linguarum peritiae, et profectus in litteris facti ratio habeatur, quatenus Individua in Ordinem suscepta suo tempore utrique Reipublicae utilia evadere valeant.

2. In iis pariter, qui pro Laicis aut Tertiariis assumuntur, solicite considerentur morum puritas, corporis vires, eorumque dexteritas, ut Candidatorum quisque jam ante induitionem aliquam polleat artem, atque legere et saltem in lingua sua vernacula aliquid scribere sciat, ne secus Provincia Individuis ad laborandum inhabilibus aggravetur.

Digitized by Google

3. Nullus praeterea recipiatur ad Ordinem, nisi Conditionibus a Sixto V. *cum de omnibus;* Gregorio IX. *cum ad regularem;* Innocentio X. ad *propagandum*, Clemente VIII. in *supremo* et a Statutis generalibus, quae Ministris Provincialibus studiose relegenda, et hoc in merito exacte observanda commendantur, requisitis ornatus sit. Quod si quis defectum aliquem corporis notabilem celaverit, receptio ejus et Professio censeatur nulla; nec ullus admittatur ad Professionem, qui qualitates requisitas non habere repertus fuerit. Suscepti pro Clericis mittantur ad Conventum, in quo annum probationis agent, per Capitulum Provinciale aut congregationem deputatum pro formali Novitiatu; in eoque exacte observentur Statuta particularia pro Novitiorum educatione edita atque sancita.

4. Receptio per Statuta generalia et haec provincialia Candidatorum qualificatorum fiat a solo Ministro Provinciali, utpote cui solummodo secundum S. Regulae nostrae praescriptum id competere dignoscitur. Induitio vero, ac ad Professionem receptio de ejusdem Ministri Provincialis delegatione et speciali licentia fieri poterunt a Guardianis, vel aliis delegatis juxta formam a Statutis Generalibus praescriptam.

5. Receptus ad Ordinem ad minus per triduum commorabitur intra Conventum in habitu saeculari, et piis exercitiis praeparabit se ad confessionem generalem, quam apud quemcunque sacerdotem sive regularem, sive saecularem deponere potest; et sequetnr communitatem in Choro, ac aliis exercitiis Clerico ac Laico congruis, neque possit illis diebus sine licentia petita et a Superiore obtenta egredi Conventum, aut cum saeculari aliquo loqui.

6. Tempore, quo Novitii induuntur, vel ad Professionem admittuntur, non fiant convivia; multo minus ipsi a parentibus vel cognatis aliquid petant, vel expensas notabiles fieri permittant, parens tamen, Frater aut cognatus Novitii ad Refectorium, mater, soror aut cognata ad locum locutorium admitti poterit.

7. Denique juxta Decretum SS. D. Pii IX. de dato 25 Jan. 1848. *super statu Regularium* etc. nemo ad habitum admittatur absque testimonialibus litteris tum Ordinarii originis, tum etiam Ordinarii loci, in quo postulans post expletum decimum quintum annum aetatis suae ultra annum moratus fuerit.

Digitized by Google

§. II. *De Novitiorum educatione.*

1. In regimine Novitiorum habeat Magister plenam et a Superiore locali independentem facultatem, ita ut hic illum nec directe, nec indirecte circa hoc punctum in publico corrigere, multo minus occasione culpae a juvenibus dicendae pungere aut confundere valeat; sed potius omnem favorem et patrocinium eidem impendat, et in omnibus assistat. Siquid autem in Magistro circa educationem aut instructionem Novitiorum emendandum deprehendat, eundem in privato moneat, aut ad Superiorem majorem recurrat. Novitios tamen publice errantes, aut ratione defectuum ad culpam venientes, corrigere et punire libere Superior poterit.

2. Ad Novitiatum ipsum nemini, non tantum saecularium, sed etiam nostrae, vel alterius Religionis, etiam proprii Conventus Religiosis nullo unquam tempore sub quovis praetextu aditus pateat, praeterquam Magistro et Conventus Superiori, si quandoque ingrediendum sibi necessarium existimav erit. Guardianus in his negligens arbitrio Ministri Provincialis puniatur.

3. Novitii cellas Professorum, et Professi Novitiorum nullatenus ingrediantur; contra facientes tam Novitii, quam Professi a Guardiano serio moneantur, vel si opus fuerit poenis etiam coërceantur; si vero iidem defectus saepius observati fuerint, Ministro Provinciali indicentur, ut eatenus disponat, quidquid magis expedire in Domino judicaverit.

4. Novitiis non liceat loqui saecularibus, etiam propinquis, nec Religiosis cujuscunque Ordinis, nisi necessariam ab causam, a Guardiano vel Magistro approbatam, quorum alteruter loquenti semper assistat.

5. Caveant Superiores, ne Novitium aliquem extra Conventum dimittant, nisi ex causa publica, videlicet ad Processiones et similia, sel ex alia necessaria et urgente; idque rarissime et cum socio maturo ac gravi; nec ullus Novitiorum audeat solus circuire Conventum, aut hortum, sed semper habeat Novitium, socium, si adest.

6. Novitii singulis diebus culpam dicant, nec unquam aliquid potus extraordinarii ad mensam habeant, atque potione solita semper sint contenti; imo et hac ad abstinentiae utilissimam virtutem plantandam pro sua privata mortificatione nonnunquam de Magistri sui licentia sponte se privabunt.

Digitized by Google

7. Cum approbatio et reprobatio Novitiorum sit unum ex gravioribus Religionis negotium, serio monemus omnes Religiosos, ut in re tanti momenti maximo zelo et circumspectione se gerant, et ne Religio gravetur, proinde praescribimus normam sequentem ferendi suffragia pro Novitiis. Praevia nempe die Superior, cui votatio committitur, intimet Communitati futuram votationem, omnesque moneat de gravissima obligatione, si aut dignis vota negaverint, aut indignis quocunque titulo dederint. Ipsa vero votationis die ante secretam votationem Superior quemlibet in sua cella constituat, incipiendo a juniore, et an aliquid contra Novitium in conscientia deponendum habeat, exquirat et puncta deposita, si sint gravia, Ministro Provinciali communicet, si vero levia et quotidiana, ipsemet post vota, secrete in Refectorio more solito collecta, Novitiis proponat emendanda aut ut brevius totum absolvatur, dicat, ut qui contra Novitium aliqua opponenda habet, ante secretam votationem eadem sibi manifestet. Et iste modus votandi servetur in prima et secunda votatione; tertia autem votatio fiat absque praevio scrutinio omnino secreta.

8. Statuimus , ut pro quolibet Novitio separatim accipiantur suffragia, et quidem prima et secunda vice quolibet quarto ad finem vergente sui Novitiatus mense, tertia vero ante bimestre Professionis, Fratribus capitulariter congregatis. Si Novitius prima vice tres ex quatuor partibus, secunda vero vice duas ex tribus non tulerit, tertia vero vice, si suffragiorum tertia pars Novitio defuerit, moneatur Minister Provincialis, qui pro sua benignitate et prudentia declarabit, quid faciendum; si vero tertia vice Novitius suffragia secreta ultra medietatem pro se non habuerit, de scitu Ministri Provincialis ab Ordine expellatur. Nullus vero Fratrum pro Novitio suffragium ferre poterit, nisi per integrum annum jam solemniter Professus et ipse a Junioratu dispensatus sit, atque per duos saltem menses continuos cum Novitio de familia convixerit.

9. Declaramus, quod si non constet, Conventum injuste suffragia negasse Novitio, Minister Provincialis non possit talem Novitium sua auctoritate ad Professionem admittere sub nullitate Professionis.

10. Novitio sua vestimenta repetenti et ad saeculum redire anhelanti, P. Provincialis deliberandi tempus praescribat, ordinarie triduum, post quod si non obstante debita

Digitized by Google

instructione et admonitione facta manserit in sua opinione et petitione, dentur ei vestimenta, et dimittatur. Si autem et hujus morae foret impatiens, poterit a Guardiano de consilio Discretorum Conventus dimitti, datis prius a Novitio reversalibus, uti moris est.

11. Nullus Fratrum se ingerat in distribuendis Novitiorum bonis, sed in hoc observentur Declarationes Clementis V. sub poena privationis officii, si sit Superior, et proprietarii, si sit subditus. Novitii ad Professionem non admittantur, nisi doctrinam christianam, Regulam ac Regulae praecepta coram Fratribus capitulariter congregatis memoriter prius recitaverint; itemque recte divinum Officium recitare, ac illud ipsum per se ordinare noverint. Idem praestare teneantur Laici. Qui vero horum legere nesciunt, aut adeo debiles memoriae fuerint, ut praedicta omnia adiscere non possint, saltem christianam doctrinam et Regulae praecepta omnino apte recitent. Teneantur quoque Novitii tum Clerici, tum Laici, Professioni praemittere spiritualia exercitia saltem per triduum.

12. Superior localis in libro ad hoc destinato diligenter describat et notet diem receptionis habitus, nomen cognomen, parentes et patriam Novitii, qui etiam sua propria manu penes ipsum Superiorem et Novitiorum Magistrum subscribet, et notam Ministro Provinciali juxta solitum morem transmittat ad Provinciae librum receptorum ponendam.

13. Novitii tempore suae probationis, prohibentur studii incumbere, ad Ordines promoveri (quod ante emissam Professionem solemnen omnino fieri nequit) aut Confessiones excipere, etsi in saeculo fuissent Confessarii. Licet Novitii tempore Novitiatus apprime instruendi sint in vita religiosa, non tamen intermittatur instructio in Rubricis Breviarii, cantu chorali, caeremoniis pro ministerio Altaris, et aliis peragi consuetis. Addiscant etiam Breviarii Hymnorum et Psalmorum sensum. Insuper mandamus, ut Novitiis haec Statuta, deinde praecepta et obligationes S. Regulae juxta Declarationes SS. Pontificum Nicolai III. et Clementis V. praesertim principaliora capita exactius explanentur.

14. Novitiis pro Magistro assignetur vir maturus, discretus et devotus, qui illos doceat viam Dei, doctrinam christianam et Regulae praecepta, et ea omnia, quae ad regularem observantiam necessaria censentur; item *speculum S. Bonaventurae*, in omnibusque consuetis exercitiis eis as-

Digitized by Google

sistat: cui Superior localis omnem favorem et patrocinium exhibeat. Magister omnem Religionis arduitatem Novitios faciat experiri, et variis modis, opportunis tamen et maturis, rtiam poenitentiis discretis cum consensu Guardiani, probet eorum spiritum.

15. Magistri Novitiorum ad finem anni ex ascesi et regulis modestiae discipulos suos in praesentia Superioris localis et saltem unius Discreti stricte examinare teneantur, et de doctrina eorum tam in hujusmodi examine, quam per decursum anni manifestata testari, addendo ulteriorem veridicam et conscientiosam de cujusvis naturae talentis, diligentia et profectu in moribus et studiis; quae tamen attestationes non nisi praevia consultatione cum Superiore locali fiant, ac ab eodem subscriptae Ministro Provinciali mittantur.

§. III. *De Fratribus junioribus et admittendis ad Professionem.*

1. Quia brevi unius anni spatio juvenes statum regularem amplexi in perfectione religiosa sat fundari nequeunt, finito etiam probationis anno, qua simpliciter professi, sedulo instruantur in iis, quae vitam monasticam concernunt. Quapropter omnes, expleto Novitiatu, quatuor adhuc annis continuis cuidam Magistro, seu Exhortatori, qui ad altiorem spiritus perfectionem eis viam monstrabit, eorumque moribus specialiter invigilabit, concrediti; seu ut dici solet, sub disciplina seu in *junioratu* erunt, quamvis secus continuandis studiis litterariis applicentur.

2. Fratres tam Clerici (prout et juvenes sacerdotes) quam Laici usque ad quinquennium in Religione completum singulis diebus culpam dicant Superiori in Refectorio alta voce; Laici vero etiam post expletum praedictum tempus ter in qualibet hebdomada, scilicet feria secunda, quarta et sexta idem praestare obligantur.

3. Clerici et Laici nec in toto, nec in parte ante completum quinquennium dispensentur a *junioratus* muneribus; et si Clerici intra idem tempus ex sufficienti ratione ad sacrum Presbyteratus Ordinem promoti fuerint, nihilominus etiam qua sacerdotes idem quinquennium sub disciplina

Digitized by Google

complere teneantur, nisi Ministro Provinciali ex graviori quadam causa contrarium expedire visum fuerit.

4. Iidem Fratres Clerici et Laici singulis diebus Festis et Dominicis, prout et omnibus aliis ab Ordine jam assignatis ss. Sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae, quod juxta Concilium Tridentinum est antidotum, quo liberamur a culpis quotidianis, et a peccatis mortalibus praeservamur, atque pignus futurae gloriae nostrae et perpetuae felicitatis, omni qua par est, devotione, pietate ac humilitate suscipiant, nec unquam ex pigritia, animi levitate, aut nausea spirituali eadem sua sponte negligant.

5. Iuxta decreta ceasarea professio solemnis non fiat, nisi completo 24.° aetatis anno, aut 21.° simulque tertio Religionis et absoluta a Clericis philosophia; juxta Decretum Pianum (19. Mart. 1857.) novitiatu legitime expleto statim vota simplicia emittantur et continuentur saltemsper triennium, a die emissionis computandum, nec minus, usque ad expletum annum vigesimum primum ob Decretum caesareum; deinde si taliter professi digni reperiantur, ad professionem votorum solemnium admittantur; poterit vero Minister generalis, ac etiam Provincialis, ex justis et rationabilibus causis professionem votorum solemnium differre ultra terminum etiam triennii et anni vigesimi primi, non tamen ultra aetatem annorum 25 expletorum.

6. Actus ipse professionis (sicut et induitionis) si nihil obstat, fiat in ecclesia, ubi ss. Christi Corpus asservatur, aut in Oratorio contiguo, praemissa ex parte profitentium (vel induendorum) sacramentali confessione et Communione, et observatis in Provincia consuetis caeremoniis.

7. Simpliciter vel solemniter professurus diligenter moneatur, quam gravis ea res sit et quam multa requirant tria illa religiosa vota, ut vinculi vim serio intelligat, quo sancte ac pie adstringi deliberat. Diei tandem, mensis et anni, quibus facta est Professio, nominis item et patriae profitentis et ad Professionem admittentis memoria fiat in libro ad id destinato, juxta formulam sequentem:

Testimonium professionis solemnis.

Ego Fr. . . . . praesentibus infrascriptis testibus hisce meis fidem facio indubiam, quod ad

Digitized by Google

meas humiles preces, et de annutu A. R. P. . . . . actualis Ministri Provincialis, Provinciae S. Crucis Croatiáe-Carnioliae Ord. Minorum S. Francisci Reformatorum, anno aetatis . . . . . completo, probationis vero . . . . . absque ullo metu et coactione, omnimode libere, spontanee, praecedente matura deliberatione, solemnem S. Regulae Professionem primi Ordinis S. Francisci, sciens ejus praecepta et rigores in Ecclesia . . . . . Conventus . . . . . coram ara majori praesenteque ven. Familia in manibus . . . ab A. R. P. Ministro Provinciali ad id deputati die . . . mensis . . . . . anni millesimi, octingentesimi septuagesimi . . . . . emiserim. Attestor pariter in puritate conscientiae, me nulla infirmitate, aut alio defectu laborare, qui de mente ss. Concilii Tridentini cassam, irritamque redderet professionem meam. In quorum fidem hasce propria manu subscriptas, Conventusque Sigillo munitas dedi.

Conventus . . . die . . . mens . . . . anni . . . .

LS. Fr. N. N. qui supra.

Ita est: P. N. N.

Ita est: P. N. N.

Ita est: P. N. N.

Copia hujus formulae a Neo-professo manu propria scripta, et a testibus subscripta, mittatur ad Archivum Provinciae.

8. Magister seu Exhortator F. F. Laicorum singulariter et principaliter curet ac adlaboret, ut Laici exacte instruantur: *a*) In profunda humilitate, statum laicalem specialiter decente. *b*) In resignata, promptaque obedientia, pro consolatione Laicorum praecipue et semper serviente. *c*) In bona, rectaque intentione in omnibus semper habenda. *d*) In fideli, indefessaque diligentia laboris manualis, ad quem ex Regula graviter tenentur, et circa quam notabiliter deficientes in conscientia securi non sunt, nec bona conscientia cum aliis comedere valent. *e*) In fideli administratione et applicatione eleemosynae commissae, ad quod vi voti paupertatis tenentur. *f*) In mansuetudine et patientia omnes Religiosos singulariter ornante. g) In fuga, etiam umbrae

Digitized by Google

alicujus suspecti eloquii, consortii vel operis in materia impudica, utpote in qua vel a longe rei mundum scandalizant, Ordinem confundunt, et propterea a Deo, S. Patre, et tota coeleste Curia horrende maledicti in summo periculo aeternae damnationis versantur. *h*) In debito modo et praxi extirpandi malas passiones, vitia, habitus, et implantandi virtutes. *i*) In religiosa modestia, urbanitate et humanitate; quo ad haec novem allegata puncta specialiter instructos et habituatos volumus esse omnes et singulos nostros Fratres Laicos et Tertiarios claustrales.

§. IV. *De vestimentis et Tonsura Fratrum.*

1. Nullus Fratrum aliud indumenti vel vestimenti quidquam portet in suo corpore, quam, prout S. Regula praescribit, duas tunicas, unam cum caputio, et alteram sine caputio, atque braccas. Quod si locorum, temporum et personarum dispositio aliud requirant, possint dispensare Superiores.

2. Cum autem uniformitas magno sit Religioni decori, et nostrae commendationi, omnes indispensabiliter pro majori decentia more Reformatorum eadem habitus forma vestiantur, et non ex alio, quam a Provincia communiter subministrato panno. Si quis in vestium forma, aut colore ab aliis notabiliter distingui voluerit, et ipse, et sartor, qui has vestes confecit, Superioris arbitrio poenis coërceatur; hinc etiam marsupia recentiori tempore introducta, quibus citra omnes modestiae leges manus immittuntur, extemplo abrogentur.

3. Adlaborent Superiores, ut sandalia uniformia pro omnibus et singulis conficiantur; ocreis autem et crepidis calceatos incedere nonnisi illos permittant, in quibus aut pedes sauciatos vel malesanos, aut secus qualemcunque manifestam necessitatem animadverterint.

4. Cum communitates hoc fine salubriter sint ordinatae et erectae, ut Fratribus ad singulares benefactores pro privatis necessitatibus recursus praescindatur, quo Franciscana paupertas in pluribus proscribitur, et ejus loco proprietas inducitur; noverint Superiores locales sub privatione officii debiti sui esse, ut erectas conservent, et ad sufficientiam semper augeant. Ut autem opus hoc nunquam satis commendandum facilitetur, omnibus Patribus et Fratribus sub poenis Supe-

Digitized by Google

rioris arbitrio infligendis, praecipitur, ut quidquid vestimenti sive lanei, sive linei possident, ad communitatem deponant. Distribuantur autem secundum antiquum morem Fratribus necessaria singulis diebus sabbatinis ex communitate.

5. Praecipimus universis Superioribus localibus, ut duplex vestiarium erigant, conservent et in usum deducant, atque ita a cunctis Patribus et Fratribus circa festum Ss. Apostolorum Philippi et Jacobi assumantur habitus aestivales, circa festum vero omnium Sanctorum hiemales. Et ut facilius conserventur communitates, ordinamus, vestiaria Religiosorum defunctorum relinquenda esse Conventui, in quo decedunt; et insuper praecipimus, ut quilibet Religiosus, cujuscunque conditionis, missus ad alium Conventum incolendum, nonnisi unicum habitum et tunicam secum deferat, quocunque etiam anni tempore translocatus fuerit.

6. Ad praecludendam viam variis inconvenientiis, confusionibus et querelis, statuimus, ut Minister Provincialis occasione suae visitationis canonicae Religiosos omnes cujuslibet Conventus vestiarii indigos notet cum Discretorio Conventus, nullo prorsus habito respectu, quo anno, loco et tempore receperint habitum, tunicam vel pallium, et hujusmodi notam consignet Superiori locali, qui, si Fratrum necessitatibus neglexerit succurrere, ad arbitrium Ministri Provincialis puniatur, prout et illi, qui sibi ipsis, vel alteri nova curant fieri vestimenta absque Superioris licentia.

7. Serio monemus Superiores locales, ut neminem ex suis subditis habitu lacerato, sordido et infecto incedere, minus coram saecularibus comparere sinant. Hinc vestimenta sordida provide mundari, lacera vero reparari ac repetiari procurent. Ministri Provinciales incautum aut incurium subditum, severius tamen Superiorem negligentem puniant.

8. Superiores locales pileos ex lana e suis Conventibus eliminent, et pilei ex stramine, prout in nostra Provincia ab antiquo jam introductum fuit, portentur aestivo tempore. Capitis tonsuram omnes, tam Sacerdotes, quam Clerici, Laici et Tertiarii juxta morem, in hac Provincia usitatum, sibi radi, aut si id sine gravi sanitatis periculo adversae valetudinis causa fieri non liceret, forficulis profunde sibi tonderi frequenter faciant, ita ut ex ipsa capitis tonsura semper appareat, cujus sint status et conditionis. Quem pudet tonsurae clericalis, memorialis Coronae Christi, certe indignus est, ut ejus quoque officio fungatur.

Digitized by Google

9. Adigantur omnes ex natura ad id specialiter non inepti Novitii, Clerici et juniores Fratres, ut mutuo se tondeant, quatenus frequentiori exercitio habiles reddantur etiam alibi istud charitatis obsequium suis praestando Fratribus juxta dispositionem Superioris.

§. V. *De Apostatis.*

1. Quamvis a sacris Religionibus tantum faex hominum et malitiosi nequam, probra et onera Provinciarum apostatare soleant, hinc si offensa Dei, scandalum proximi et interitus Apostatae abesset, summus favor Religioni contingeret, casu, quo per apostasiam tali probro et faece liberaretur, Religione praesumptionem semper pro se habente, et propterea tantam jacturam famae non sentiente, quantum praejudicium ex praesentia hujusmodi probri, faecis et oneris communitas diversimode patitur. Quia tamen horum quoque, ne in apostasia pereant, curam gerere debent Superiores, sub merito salutaris obedientiae praecipimus cunctis Superioribus localibus, ut si (quod Deus avertat) contingeret, aliquem Fratrem a Religione apostatare, omnem diligentiam adhibeant, ut talem denuo deprehendant, ubi tamen cautissime et magna cum prudentia procedatur, ut publicum populi scandalum et notabilis in capiendo strepitus omni possibili modo evitetur.

2. Vi juris communis, Constitutionum et receptae consuetudinis Ordinis omnes illi vere sunt et dicuntur apostatae, qui sine legitima, expressa vel tacita facultate Superioris, sive cum habitu et socio, sive absque illis, etiam cum praetextu ad Superiores accedendi et sine animo apostatandi e Conventu discedunt. Quod quia diversimode contingere poterit, diversae statuuntur poenae, ut juxta mensuram delicti sit plagarum modus. Inprimis omnes et singuli, etiam levissimae apostasiae rei, ipso facto absque alia declaratione sint et maneant excommunicati, et Superioribus localibus praecipitur, ut in refectione immediate sequenti eos denuntient excommunicatos.

3. Si quis a Conventu apostataverit, a Superiore Conventus ad quem accesserit, custodiatur per triduum; qua poena peracta Superior localis publice ab excommunicatione ipsum absolvat, eoque ulterius ad custodiam posito Superiorem ma-

Digitized by Google

jorem de facti specie informet, reum vero interea in cunctis, praesertim in cibo et potu prorsus eodem modo, quo carceratos tractet, caputium tamen et cingulum, ne in formali carcere esse videatur, eidem iterum restituat, donec sententia feratur. (*Confr. Con. Trid. Sess. XXV. cap. IV.*)

4. Ut autem sciatur, quid sit formalis carceris, vel reclusionis in cellam *correctionis* poena, declaratur, quod sit reclusio alicujus in loco obserato sine caputio et chorda. Nam carceribus formalibus, altissima Resolutione Caesareo-Regia, in quovis Conventu penitus sublatis (Exc. Gub. Austr. Inf. d. d. 31. Aug. 1771.) suffecta est cella *correctoria* (eaque simplex et munda, lectulo necessario, lucida fenestra, fereis tamen cratibus provisa, ac porta serata, cum temperato rigente bruma calore, instructa) vulgo etiam *domus disciplinae* dicta, pro quoquo modo delinquentibus Religiosis, qui ex Statutorum praescripto eam promerentur.

5. Qui sine Superioris localis licentia palam vel furtive cum habitu et socio e Conventu egreditur, et intra diem naturalem non revertitur, tanquam apostasiae levissimae reus per diem in cella correctionis sit et per annum voce activa et passiva careat; si sine habitu, vel socio, aut de nocte fiat, et eadem die vel nocte denuo revertitur, triduo luat in cella correctionis. Qui denuo et pluries eodem modo deliquerit, duplicatis et multiplicatis poenis puniri debet. Qui per octo dies in apostasia manet, integro mense in cella correctionis sit et per triennium voce activa et passiva careat. Relapsus duplicatis iisdem poenis, probationis caputium per annum deferat atque ultimum in suo ordine locum teneat. Tertia autem vice post duplicem praeviam incarcerationem reus, per integrum annum stricte detineatur, vel servatis apostolicis de ejectione decretis ab Ordine pellatur. (Cfr. Const. 28. Urbani VIII. et Decr. S. Congr. Conc. de Regular. Apostatis et Ejectis d. d. 21. Sept. 1624. Item Decretum de Ejectis et ejiciendis auctoritate SS. D. N. Innocentii P. P. XII. editum die 1. Mart. 1693.)

6. Qui cum legitima facultate Superioris egressus notabiliter declinat de via recta, vel qui tempus in facultate praescriptum notabiliter excedit, et a fortiori, qui horum aliquid contra expressam Superioris prohibitionem attentat, apostasiae et poenarum illius reus per Statuta generalia declaratur, nisi emergente necessitate aut alia gravi causa licentia rationabiliter praesumatur. Ut apostatarum cognitio

Digitized by Google

facilius haberi possit, nullus Frater, exceptis Patribus gravibus et notis, excipiatur hospes, nisi obedientiales litteras Superiori locali ostendat. (Vide Cap. I. §. III. n. 3. 4. 5. 6.)

In reliquis circa apostasiam hic non expressis remittimus nos ad Statuta generalia, potestate tamen penes Definitorium remanente, dispensandi quoad durationem carceris ob apostasiam vi supradictorum Statutorum nostrorum Provincialium commeriti.

CAPUT TERTIUM

De divino Officio et jejunio et quomodo Fratres debeant ire per mundum.

§. I. *De divino Officio et oratione mentali.*

1. Ut tremendum ac sacrosanctum Missae Sacrificium pro sui summa dignitate et sanctitate digne peragatur, Sacerdotes nec nimis clamorose, nec nimis submissa voce celebrent, incessu et gestu graves, angelicam praeseferentes devotionem, non cursitando per Ecclesiam, aut oculo circumvago, quo distractiones, absque hoc non deficientes, abundantius colliguntur.

2. Adlaborent Superiores locales, ut omnes Sacerdotes aequaliter juxta Rubricas generales Missalis Romani celebrent, curentque prae caeteris, ut Sacristiae debita niteant munditie, ut supellex sacra talis sit, quae tanto ministerio, servata tamen religiosa paupertate, digna sit deservire; de quorum omnium exacta observantia Minister Provincialis ab eisdem Superioribus strictam exigat rationem in visitatione canonica.

3. Patres Sacerdotes, nisi legitime impediti existant, singulis diebus celebrent juxta dispositionem et intentionem a Superiore locali, vel ab eo, cui hoc munus committitur, in Sacristia praesignatam, et Minister Provincialis qualibet septimana unum Sacrum applicabit pro ovibus sibi commissis.

4. Attamen propter diversi generis officia et propter uniformitatem concedimus et statuimus, ut *Patres Administratores Parochiarum* annue 80; Patres *Guardini* vero, qui non sunt Administratores Parochiarum, item Patres *Cooperatores* Parochiarum annue 70; Patres *Vicarii*, item *Con-*

Digitized by Google

cionatores et *Subsidiarii* penes Parochias annue 60; Patres *Studentes* et *Confessarii* i. e. tales, qui nullum praenominatum officium gerunt, annue 50; denique Patres *simplices* annue 30 Sacra pro se valeant applicare. Adeo omnes aliae, cujuscunque generis *accidentiae* et *remunerationes* recentissimis temporibus in nonnullis Conventibus abusive introductae prorsus cessent et eleemosyna per quemcunque et pro qualicunque functione seu officio acquisita in commune Conventus bonum deponatur; nam quidquid monachus acquirit, non sibi, sed Conventui acquirit.

5. Ideo privatim pro se, aut pro negotio privato sine speciali licentia Superiorum nullo modo audeant Fratres stipendium, vel competentiam pro funere accipere, vel deponi sinere, multo minus in alium locum mittere, sed Eleemosyna consignetur Superiori locali. Insuper monemus Superiores locales, ut etiam Fratribus Laicis per annum duo aut tria Sacra faveant.

6. Sacrum Conventuale, quod divino Chori officio correspondeat, singulis diebus indispensabiliter dicatur, eique omnes Laici et Clerici intersint, quos locorum Vicarii inomisse faciant intervenire.

7. In Festo Immaculatae Conceptionis B. V. Mariae pro publicis Provinciae necessitatibus, in festo S. Floriani pro avertendis incendiis, et in festo S. Joannis Nepomuceni pro conservanda Provinciae bona fama in singulis Conventibus Sacrum decantetur, vel, ubi id fieri nequit, legatur.

8. Mandamus Superioribus localibus, ut in recipiendis oneribus Missarum quotidianarum *Decreto Urbani VIII. Cum saepe contingat etc.* sese conforment, nec plura Sacra suscipiant, quam infra modicum tempus satisfacere omnibus possint, nisi constituentes hujusmodi Sacra relinquant ad commoditatem Sacristiae celebranda. Collectoribus vero, et aliis Religiosis quacunque ex ratione extra Conventum existentibus, severe inhibemus, ne ullam Sacrorum obligationem proprio vel Conventus nomine etiam pro eleemosynis oblatis propria auctoritate assumant, sed oblata Sacra indicent Superioribus localibus; quibus etiam interdicimus, ne aliquam perpetuam obligationem suscipere praesumant, nisi pia legata, protestando tamen contra legati proprietatem, quae relinquenda est legatariis aut eorum haeredibus; semper autem fundatio Sacrorum quotannis celebrandorum respectivo Ordinariatui episcopali notificanda est, ut legaliter vinculetur.

Digitized by Google

9. Sedulo quoque invigilent Superiores locorum, ne quidquam etiam minimum absque ipsorum scitu in Sacristia per Sacristanos recipiatur; imo illis praecipitur, ne paramenta, vel alia quaecunque ad Sacristiam spectantia commodent cuiquam personae, vel loco extra Ordinem: excipiuntur tamen personae conspicuae vel bene notae, quibus requisita Ecclesiae supellex ad modicum tempus sub debitis cautelis commodari poterit.

10. Serio ordinamus, ut dum Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum publicae adorationi in Altari exponitur, nullus saecularium indebite vestitus ad purganda luminaria, aut aliud quidpiam circa Altare ordinandum admittatur, quin imo Sacristis ipsis, et eorum subititutis stricte imponimus, ut nonnisi superpelliceo decenter induti Altare accedere praesumant.

11. Summopere in Domino hortamur, quin imo praecipimus Superioribus localibus, ut solemnitates sanctissimi Nominis Jesu et immaculatae Conceptionis B. V. Mariae cum sua Octava, solemnitates seraphico Ordini proprias et specialiter attributas, omni qua par est, devotione, cultu, possibili illuminatione et pompa sanctissimi Sacramenti tunc exponendi, more solito celebrent, et celebrari faciant. Et quia universus Ordo Mariam Virginem sub mysterioso immaculatae Conceptionis privilegio sui Dominam et Patronam humiliter elegit, in memoriam tanti patrocinii ordinamus, ut singulis diebus, prout jam obtinet, in Officio divino post Completorium dicatur Antiphona: *Tota pulchra es* etc. cum Oratione: *Deus, qui per immaculatam.*

12. Ad imitandum humilitatis exemplum ordinamus, ut Superiores die Coenae Domini lavent pedes suorum subditorum, juxta methodum ab universali Ecclesia praescriptam, in templo.

13. Quandoquidem teste S. *Bonaventura: Sine orationis studio omnis Religio sit arida, imperfecta, et ad ruinam promptior*, satagant, ut in Choro sanctum divinae Majestatis obsequium, a quo omnium operationum nostrarum bonitas promanat, debita cum reverentia, et compositione religiosa semper peragatur, observato D. *Bernardi* monito: *Cum ad psallendum sive orandum in Ecclesiam intraveris, fluctuantium cogitationum tumultus exterius relinque, curamque exteriorum penitus obliviscere, ut soli Deo possis vacare; fieri enim non potest, ut aliquis cum Deo loquatur, qui cum toto mundo etiam*

Digitized by Google

tacens fabulatur. Divinum itaque Officium dicatur distincte et devote cum debita pausa et gravitate, praesertim in festis solemnioribus; advertant autem, ne in medio et fine versiculi ultimae syllabae nimio tractu psalmodiam deturpent, et totum pausae tempus absumant.

14. In Choro nulla appareat difformitas in vocibus, sed omnes eatenus sese accommodent in elevando et deprimendo tono juxta directionem et moderationem alicujus periti. In gestibus corporis pariter se conforment; unde omnes simul ad eandem partem se vertant, simul stent, simul sedeant, simul genuflectant, simulque capita inclinent ad *Gloria Patri*, et alios quosdam jam notos versiculos. Ad *Verbum caro factum est* in recitatione Salutationis Angelicae terram osculentur. *Te ergo quaesumus*, et *Sacrosanctae* junctis manibus, Clerici ad terram prostrati et Sacerdotes profunde inclinati dicant.

15. Intrantes Chorum tempore orationis meminerint, se intrare locum, in quo actu divina Majestas fideles suos servos, ipsam orantes, auscultat, adeoque ita modeste, lente et silentiose incedant, ut vix percipiantur ingressi. Juniores, seu Clerici tarde venientes genuflectant, et a Superiore surgendi tempus praestolentur. Qui vero horam aliquam in Choro neglexerit, apud Superiorem se excuset, et emansionis suae rationes decenter et humiliter exprimat; qui autem soepius, praesertim si hoc ex pigritia, aut alia minus laudabili causa fiat, negligens repertus fuerit, a Superiore locali seria admonitione, aut opportuna etiam castigatione ad frequentandum Chorum adstringatur.

16. Suffragia Sanctorum in Officio divino ad Vesp. et Laudes fiant inprimis de B. V. Maria, posthac immediate de S. Michaële Archangelo, S. Josepho, Patrono universalis Ecclesiae, et dein reliqua, prout inveniuntur in Breviario ante Completorium.

§. II. *De suffragiis defunctorum et meditatione.*

1. Praecipimus Superioribus localibus, ut perpetuis temporibus die commemorationem omnium fidelium defunctorum immediate sequenti pro animabus omnium Provinciae Fratrum defunctorum eadem peragi curent, sicut in ipsa die praecedenti omnium fidelium defunctorum; sacerdotes pro

Digitized by Google

eis celebrent, Clerici Officium defunctorum orent, et Laici centum *Pater* et *Ave* dicant, cum totidem: *Requiem aeternam* etc.

2. Mandamus insuper, ut singulis mensibus die proxime non impedita Officium defunctorum in Choro recitetur, et Missa de Requiem solemniter decantetur, vel ubi id fieri nequit, legatur pro universis nostrae Provinciae Fatribus, Superioribus generalibus, parentibus, propinquis, benefactoribusque nostris vita functis, praeter illa quinque officia ex Constitutionibus generalibus dici solita; videlicet tria generalia, primum post Dominicam Septuagesimae, secundum circa festum S. Mariae Magdalenae, et tertium ante festum S. Michaëlis Archangeli, dein ante Adventum pro defunctis parentibus omnium Fratrum nostrorum, et tandem post festum omnium Sanctorum trium Ordinum S. P. N. Francisci fiat officium generalissimum cum solemni Requiem pro defunctis Fratribus, et Sororibus trium Ordinum, nec non pro ipsorum et ipsarum parentibus, benefactoribus, ac pro omnibus, qui in Ecclesiis et Caemeteriis Ordinis in pace quiescunt; pro quorum singulis Officiis Laici dicant *centum Pater* etc. *Ave*, ac *Requiem aeternam*. etc.

3. Pro fratribus nostris in hac Provincia ex hac vita migrantibus in singulis Conventibus dicantur Vigiliae et Missa cantetur; Sacerdotum quilibet unam Missan (exceptis illis confratribus, qui in discolatu h. e. dissoluti moriuntur, utpote pro quibus unica duntaxat in quolibet Conventu erit legenda ita etiam pro confratribus, qui antè professionem solemnem moriuntur.) Fratres Clerici Officium defunctorum integrum, et Laici centum Pater et Ave cum totidem Requiem aeternam persolvant. Verum pro Eminentissimo Protectore, Reverendissimis Superioribus generalibus, et Provinciali actuali haec triplicentur; pro Patribus autem officio Ministeriatus Provinciae functis eadem bis peragantur. In quo quis Conventu obit, pro anima illius in hoc etiam Conventu anniversarium cantetur, aut legatur, cum Officio defunctorum in Choro, idque una vice dumtaxat.

4. Stricte praeterea praecipimus sub poena Ministri Provincialis arbitrio infligenda, ut Superiores locales orationem mentalem sive meditationem saltem feria 2, 4, et 6 in Choro instituant, aut in Refectorio, omnique cum rigore manuteneant, atque subditos, ut ad amussim semper intersint verbo pariter et exemplo adstringant.

Digitized by Google

5. Declaramus a meditatione neminem prorsus, cujuscunque sit conditionis aut dignitatis, esse exemptum; unde omnes ad eam comparere teneantur, etiam Laici necessario et urgenti labore non impediti; exeuntes a meridie ad eam reverti obligantur, nisi specialiter pro illa vice emanendi licentiam habeant, aut salus animarum illud exposcat.

6. Secundum Ss. D. N. *Clementis VIII.* decreta nullus omnino sub cujuscunque privilegii, etiam Superioritatis qualiscunque praetextu a servitio Chori censeatur immunis, nisi pro tempore, quo quis in proprii Officii munere actu fuerit occupatus.

7. In Conventibus, ubi Clerici non sunt, teneantur ii Patres, qui sunt juniores, etiam post absolutum quinquennium ea praestare in Choro, ad quae tenentur Fratres Clerici; Laici autem pulsent, praeparent luminaria, eaque purgent.

8. Quemadmodum soepius statutum fuit, ita denuo Superioribus localibus praecipitur, ut omnes Patres et Fratres nullo dempto, pro explenda saluberrima *Alexandri VII.* intentione uno saltem, eoque continuo octiduo per annum a saeculi strepitu recedant, et exercitio spirituali oblectentur: atque tam in ingressu, quam egressu, absque alia peroratione, tempore refectionis a Superiore benedictionem humiliter petant. Item Fratres Clerici ante susceptionem S. Presbyteratus Ordinis, vel ante Primitias, eadem octiduana faciant exercitia, vel in angustia temporis saltem per tres dies.

9. In qualibet hebdomada 4 Temporum fiat capitulum pro culpis dicendis, cui omnes, exceptis nondum professis, intersint, in quo Superiores locales abligantur aliquam ad Conventum exhortationem habere, Religiosorum statui accommodatam, etiam si nihil publice corrigendum occurrat; quae vero corrigenda occurrerint, aut generaliter, aut in specie pro sua prudentia corrigant.

§. III. *De jejunio et abstinentia.*

1. Cum in Ecclesia Christi jejunia animabus, corporibusque sanandis salubriter instituta sint, Seraphicus noster Fundator S. Franciscus Ecclesiae spiritum secutus varia Instituti sui Professoribus praescripsit jejuniorum tempora, videlicet a festo omnium Sanctorum usque ad Nativitatem Domini, et quadragesimam ante Resurrectionem Dominicam

Digitized by Google

omnibus Christianis Catholicis communem, atque singulas ferias sextas totius anni. Nam magna vis jejunio ad placandum Deum et impetranda ab eo beneficia inest; propterea canit Ecclesia: *Deus, qui corporali jejunio vitia comprimis, mentem elevas, virtutem largiris et praemia.*

Utamur ergo parcius
Verbis, cibis et potibus
Somno, jocis et arctius
Perstemus in custodia.

2. Praedicta igitur jejunia in sacra, quam profitemur, Regula praescripta omnes Patres, et Fratres, quantum fragilitas eorum admittit, axacte et hilari animo observent, memores moniti Christi *Matth. 6, 16. Cum autem jejunatis, nolite fieri, sicut hypocritae tristes.*

3. Volumus item, ut jejunia, quae in oppidis aut civitatibus, in quibus Conventus nostri existunt, ex voto, vel consuetudine, aut ex alia quacunque ratione vigerent, a nostris etiam Religiosis ibidem commorantibus observentur. Qui statutis jejuniorum diebus absque necessitate et legitima causa jejunium violasse inventus fuerit, Superioris arbitrio graviter puniatur.

4. Caveant autem locorum Superiores, ne fors ipsi violandis jejuniorum praeceptis incaute ansam suis subditis praebeant, dum jejuniorum diebus ad collationem vespertinam tot fercula ad mensam apponi curant, ut familia sibi concredita ad satietatem etiam exinde exsaturari possit, quum tamen juxta generalem ab Ecclesia stabilitam regulam semel tantum in die, qua jejunium ordinatur, appetitum penitus exsatiare liceat; sed ad prandium potius dictis diebus plenior, quantum fieri potest, refectio communitati subministretur. Eodem vero modo non veniunt considerandi hospites, debiles et convalescentes.

5. Subditi econtra ipsi diligenter attendant, ne jejunii merita coram Deo sua culpa deperdant; vel saepius quam licet, de die commedendo, vel vesperi quoque stomachum ad satietatem explendo, vel potui excessivo indulgendo, vel contra cibos, qui apponuntur, inconvenienter murmurando. Quapropter nunquam e memoria perdant, quae eatenus scribit *S. Bernardus Serm. 30. in Cant.* dicens: *Legumina ventosa sunt, easeus stomachum gravat; lac capiti nocet; potum aquae non sustinet pectus; caules nutriunt melancholiam; choleram porri accendunt, pisces de stagno aut lutosa aqua meae penitus*

Digitized by Google

complexioni non congruunt. Quale est hoc, ut in omnibus fluviis, agris, hortis, cellariis reperiri vix possit, quod comedas? Puta, te, quaeso, Monachum esse non medicum, nec de complexione judicandum, sed de professione. Parce, obsecro, primum quieti tuae, parce deinde labori ministrantium, parce gravamini domus, parce conscientiae non dico tuae, sed alterius scilicet, qui prope te sedens et de tua singularitate murmurat, et de tua superstitione scandalizatur.

6. Sobrietatem et frugalitatem Fratres diligenter servare studeant tam in cibo, quam in potu, sicut decet viros evangelicos, eo magis, quo ceteris ex professione pauperiores sunt. Caveant etiam omnes, praecipue juniores, a potu vini adusti.

§. IV. *Quomodo Fratres debeant ire per mundum.*

1. Magnopere hortamur et in Domino obsecramus universos Patres et Fratres, ut sic vitam, moresque coram saeculo componant, ut habitu, gestu, incessu, sermone, omnibusque aliis actionibus suis nihil nisi grave, morigeratum, atque religiositate plenum praeseferant, eorumque modestia nota sit omnibus hominibus; et caveant, quantum fieri potest, a nimia conversatione et familiaritate saecularium, a quibus nonnisi divagationes mentis, et ex inutilibus ac superfluis colloquiis nocivas distractiones sibi conquirunt, quae in occupationibus necessariis ipsos impediunt et non levia damna soepe adferunt.

2. Praecipimus sub poenis proprietariorum Fratribus alio discedentibus, ne absque licentia Superioris supellectilem cellae, aut librum secum auferant, aut ad alium Conventum transportent, aut, quod pejus foret, quocunque praetextu saecularibus ante discessum relinquant sarcinas mittendas, custodiendasve, sed eas Guardiano loci consignent transmittendas. Non tamen intendimus per hoc decretum Lectores, Concionatores et Studiosos scriptis suis, aut libris cum Superiorum licentia ad usum suum comparatis privare.

3. Dum Religiosi, praecipue illi, qui scholarum quarumcumque magisterio occupantur, terminato anno scholastico vacationum tempore ad refocillandum litterariis laboribus defatigatum spiritum, ad auramque mutandam aliorsum commigrandi desiderium manifestaverint, ad evitandas quascunque

Digitized by Google

inconvenientias et inamoenitates ad Ministrum Provincialem eatenus recursus fiat, neque Superiores locales subditos suos longiora itinera suscipere, aut etiam per Provinciae hujus Conventus ad lubitum circumire auctoritate propria permittant.

4. Plurimum damni et odii Religioni nostrae attulisse, in comperto est, detestandam quorumdam Fratrum cum saecularibus sive extraneis familiaritatem, cujus occasione suis intimis, ut putant, amicis dicta nostrorum et facta infami confidentia recensebant, aut jocis ad ineptam laetitiam provocantibus eorum gratiam captare studebant. Quapropter Superiores locales obtestamur, ut ad similes familiaritates disrumpendas omnem conatum et robur adhibeant, atque hujusmodi Religiosos circumspecte, caute et raro exmittant ac delinquentes graviter castigent.

5. Ad conductus funebres, cum eundum est, incedant omnes tecti Caputio, vel bireta (vulgo Kappe) apud nos usitata, tam Sacerdotes, quam Clerici et Laici, ad processiones publicas vero i. e. in rogationibus et quando circumfertur venerabile Sacramentum, tunc caput apertum habeant. Pallia quoque gestabunt in Processionibus; ad conductus funebres vero aestivo tempore sine pallio comparere possunt.

6. Prohibemus Superioribus localibus, ne Fratres aliarum Provinciarum ultra triduum apud se retinere praesumant, nisi ad id specialem ostenderint facultatem, aut nisi dignitas accedentis aliud suadeat vel infirmitate aliqua a prosequendo itinere detineatur.

7. Ad compescendam nonnullorum laxitatem et oblivionem sui status, qui scandalis, relaxationibus et nugis minus religiosis apud saeculares se, et Religionem odibiles reddunt, praecipitur omnibus hujusmodi dissolutorum sociis sub poena, ad Superioris arbitrium statuenda, ut talem vel tales, in reditu ad Conventum Superiori locali, vel Provinciali, si adest, sine mora deferant et detegant, puniendos juxta qualitatem exscessus vel scandali.

8. Mandamus, ut Fratres per loca, et civitates, in quibus Conventus nostri existunt, bini incedant, nisi urgens necessitas aliud suadeat. Superiores locales suos subditos diebus festivis et dominicis domi retineant, nec ullum, nisi urgenti et gravi de causa, exmittant, minus tunc quando Minister Provincialis in visitatione canonica occupatur.

9. Ad obviandum intemperantiae vitio statuimus, ne Superiores locales subditum vino deditum indifferenter

Digitized by Google

extra Conventum dimittant; et si quem forte crapula vel domi acquisita, vel de foris allata gravatum invenerint, inprimis seriis admonitionibus, dein, si opus fuerit, etiam poenis competentibus in eundem animadvertant.

CAPUT QUARTUM.

Quod Fratres non recipiant pecuniam.

§. I. *De pecunia non recipienda.*

1. Pecuniarum seu denariorum receptio vel per se, vel per interpositam personam nobis Fratribus Minoribus omnino est interdicta, atque hoc capitale est Religionis nostrae praeceptum. Aliarum enim necessariarum rerum habere, non utique dominium, sed usum possumus; denariorum autem nec dominium nec usum.

2. Proinde omnibus et Fratribus et Patribus, Superioribus ac subditis quibscunque, indistinctus pecuniae usus, ejusque apud se vel alibi *privata* retentio ac mendicatio, severe est prohibitus; quare quaevis eleemosyna *pecuniaria*, sive ex Missarum celebratione et oblationibus, sive alio quocunque titulo, v. g. *dotationis*, *remunerationis* etc. obveniens, in manus Patris spiritualis, vel ejus Substituti (quorum illiusmodi *tractabilitas* interest) facta apud Superiorem insinuatione, confestim consignari jubetur.

3. Hinc quicunque Fratrum pecuniam aliquam recepisse, in Cella vel alibi retinuisse, aut secum portasse, aut ad recipiendum et in proprios usus convertendum auctoritate propria alium substituisse, aut apud amicos, parentes seu quascunque personas deposuisse, aut deponi fecisse repertus, et publice convictus fuerit, actibus legitimis privetur idest, ad omnia Ordinis officia, quae cum dignitate et Superioritate conjuncta sunt, inhabilis existat, et proprietariorum poenis, in Statutis generalibus stabilitis, plectatur pro qualitate delicti.

4. Sub eisdem proprietatis poenis nemo pecuniariam eleemosynam pro se, vel aliis Fratribus sive pro saecularibus personis procurare, aut oblatam sub modalitate etiam secus licita admittere seu insumere praesumat sine speciali licentia Praelati sui; Superior autem nemini subditorum li-

Digitized by Google

centiam generalem tribuat, sed peculiaris facultas semper necessaria sit ad res etiam minimas comparandas.

5. Cypi, trunci, capsulae, et alia vasa, quocunque nomine vocentur, ad recipiendas et colligendas eleemosynas pecuniarias ex Ecclesiis nostris, et omnibus aliis Conventuum locis pro possibili eliminentur; nec ulli Fratrum liceat pecuniam in Sacristia vel alibi accipere, minus a saecularibus sub quocunque titulo datam domum deferre et ad evitandum pusillorum scandalum a pecuniae contrectatione etiam tunc pro possibili abstinendum, cum nullum ejusdem dominium aut proprietas intercedit.

6. Quodsi non obstante Fratrum protestatione Christifideles alicubi pecunias Altaribus, aut in quocunque alio Conventuum loco superponant aut projiciant, Fratres libere permittant, ut pia aliqua persona, praecipue si Syndicus sit ipse, aut ejus Substitutus, illas colligat, et inde res aliquas administret, vel communi Fratrum eleemosynae eas incorporet, dummodo Fratres nec sensu, nec consensu sese immisceant in pecuniae illius oblationem, collectionem et expensionem.

7. Ultra vero poenam proprietariorum gravissime puniantur illi, qui pro minus necessariis, superfluis aut meris commoditatibus et deliciis personam interpositam seu bursarium adhibent, aut plane ipsimet in itinere pecuniam accipiunt, deferunt, ac propriis manibus expendunt, non verentes maledictionem S. P. N. Francisci, cum tales pessimo suo exemplo confundant et destruant, quod alii boni Fratres optimo suo exemplo dein per plures annos aedificare non valent, cum id sine maximo scandalo, Religionis macula, Provinciae labe, ac bonorum Fratrum praejudicio nunquam fieri possit. Nam juste inde saeculares, praeter acceptum scandalum, judicium sibi formant, quod etiam alii Fratres, sicut et illi, pecunias habeant; ex quo fit, ut misericordiae janua bonis Fratribus deinceps claudatur.

§. II. *De Syndico apostolico, seu parente spirituali.*

1. Declaramus, quod Minister Provincialis in sua Provincia, non autem Guardianus, possit auctoritate apostolica nominare aliquem extra Ordinem, qui sit verus et legitimus administrator, Syndicus et Procurator, quem his in partibus etiam parentem spiritualem vocare solent, cum facultate recipiendi quascunque res oblatas Fratribus, earum-

Digitized by Google

que pretium nomine Sedis apostolicae convertendi, et alia praestandi in utilitatem Fratrum. Provincialis igitur Syndicum sicut nominare, et instituere, ita etiam nominatum et institutum destituere potest, accedente aliqua ratione sufficienti.

2. Quare decernimus et ordinamus, ut quilibet Conventus vel locus habeat suum Syndicum seu Parentem spiritualem; et ipse Syndicus, si opus fuerit, potest alios, quos et quales voluerit substituere ad ea, quae officii sui sunt, vice sua explenda; atque Syndico vel ejus Substituto omnes qualescunque eleemosynae pecuniariae consignentur.

3. Volumus tamen, ut sine dicto Syndico, vel ejus Substituto nihil emi aut vendi possit, vel de eleemosynis sub quocunque praetextu disponi sub poena proprietatis; sub qua etiam prohibemus, ne Superior alibi, quam in manu Syndici, vel ejus Substituti pecunias teneat, aut per alios illas expendat.

4. Hinc contractus, instrumenta, vel cujusvis generis scripturae, ad pecuniae administrationem usumque spectantes semper fiant per dictum Procuratorem, aut ejus Substitutum. Quod si aliquando tamen a Fratribus id oporteat fieri, si nempe leges ecclesiasticae et civiles id postulant, talis sit haec scriptura, quae non dedeceat; veluti si Guardianus mere dicat, pecuniam aliquam fuisse receptam etc.

5. Cum Syndicis, seu spiritualibus parentibus, eorumque Substitutis Fratres agant non jubendo, sed rogando, non tanquam Domini cum servis, sed tanquam Christi pauperes cum benefactoribus suis.

6. Quamvis autem a Parente spirituali, seu Syndico rationem accepti et expensi, seu computum politicum exigere jure nobis non liceat; tamen computum simplicem et naturalem cum eo fieri nihil prohibet: quo circa talis computus sine ulteriori dilatione ubique fiat singulis mensibus, aut saltem singulis quatuor anni temporibus; atque Patres Conventus Discreti provide attendant, quomodo Guardiani eleemosynas administrent et expendant.

7. Subditus vero, qui de eleemosynis pro suis particularibus necessitatibus, quomodocunque obvenientibus a Superiore suo strictam exigit rationem, manifesto S. Regulam transgrediendi periculo se exponit, cum talis actus jus et dominium in rem supponat: quare et similes proprietariorum poena digni censentur.

Digitized by Google

§. III. *De recursu ad amicos spirituales.*

1. Declaramus, necessitates Fratrum, in quibus ad amicos spirituales pro pecunia recurrere licet, esse illas tantummodo, quibus excluditur aliquod damnum, non autem respicitur commodum, ita, ut, quando eis non provideretur, aut status Provinciae communis, aut cujusdam personae particularis damnum sequeretur; aut officium debite non administraretur. Iudicium autem necessitatis verae, et Fratribus Minoribus permissae reservatum est Superioribus. Quo circa subditus, judicio Superioris in parte non acquiescens, castigetur ut pacis perturbator; necessitas enim Fratrum dijudicanda est secundum usum moderatum ad conservandam vitam, et debite administrandum officium incumbens.

2. Recursus ad amicos spirituales in Regula prohibitus, non quidem ille est, quo indigentia rei exponitur, et res in propria specie petitur, quamvis postea benefactor, seu amicus spiritualis pecuniam expendat, sed intelligitur recursus ille, quo pecunia ipsa pro re quapiam non necessaria comparanda, vel persolvenda procuratur. Ut igitur licite fiat recursus ad amicos spirituales pro pecunia, debet esse necessitas praeterita, praesens aut imminens, non autem possibilis tantum, aut a longe futura, vera, propria Fratrum, in defectu alterius eleemosynae indifferentis, et pro re, quae commoda mendicatione haberi nequeat.

3. Nullus Fratrum subditorum praesumat auctoritate propria privatas sibi pro quacunque necessitate emendicare eleemosynas, minus pecunias expendi facere, sub gravi poena, Superioris arbitrio infligenda.

4. Ad tollendam autem Fratribus omnem occasionem recurrendi ad amicos spirituales vel absque Guardiani licentia, vel non servata forma constitutionum apostolicarum, nec non congregandi aut conservandi in manu Syndici, vel alterius Substituti, aut interpositae personae eleemosynas pecuniarias, serio inculcatur Guardianis, ut singulis Fratribus suis ad religiosam sufficientiam, et decentiam de necessariis, quantum poterunt, omnino provideant.

5. Tandem, ut in recursu ad amicos spirituales nullus interveniat abusus, neve irrepat praevaricatio in adeo delicato praecepto circa denarios et pecuniam, mandamus, ut frequenter magna cum diligentia et attentione pervolvan-

Digitized by Google

tur Declarationes *Niealai III.* et *Clementis V.* Insuper universos Patres et Fratres in Domino enixe obtestamur et rogamus, ut omni conamine et seraphico zelo devitent pecuniam, horrida a sanctissimo Legislatore damnatam maledictione, quinimo penitus amputent affectum ad illam, tanquam ad rem statui nostro perniciosissimam, ac meminerint, vilipensionem ejus esse margaritam pretiosam, quae nos acceptissimos facit Majestati divinae, sancto Parenti nostro, ac mundo; ut fugiant virolentum hunc anguem, atque super observantia hujus praecepti linceis oculis invigilent Superiores, ne aliquando illorum negligentia exinde proveniat damnatio aeterna animarum, pretioso Chris'i sanguine redemptarum.

6. Quum vero consideratis mutatis rerum adjunctis tristissimis hisce temporibus eleemosyna pecuniaria ad sustentationem vitae omnino indigeamus, hinc praecipimus, volumus et mandamus, ut secundum declarationes Nicolai III. et Clementis V. omnis pecuniaria eleemosyna per Parentem spiritualem vel ejus Substitutum recipiatur, conservetur et de licentia ac dispositione Superiorum localium pro veris Fratrum necessitatibus expendatur.

7. Ast quum interdum, prout de praesenti, pro diversis Conventibus Parentes spirituales vere tales non dentur, standum est dispositioni, quae habetur ex Audientia sanctissimi felicis memoriae *Gregorii* Papae XVI. de die 24. Sept. 1838., vi cujus licitum est, ut Superiores locales elemosynam pecuniariam in Capsula reponi faciant, quae duabus muniatur clavibus diversimode conflatis, quarum una ab ipso Superiore, altera vero a Substituto custodiatur. Capsula haec in loco aliquo tuto conservetur, et ex ea, quando opus fuerit, Fr. Tertiarius, qui Substitutus est Parentis spiritualis, in praesentia Superioris localis pro quotidianis expensis accipiat tantum ad manus, quantum Superior localis expedire judicaverit.

8. Ex eadem ordinatione Summi Pontificis Superiores locales quolibet mense Patribus Discretis rationem de administratione eleemosynae pecuniariae reddere tenentur, eisque protocollum, in quo Introitus et Exitus ejusdem eleemosynae conscriptus invenitur, revidendum, ventilandum ac subscribendum consignare.

9. Consultum sit etiam Superioribus localibus, ne Fr. Fr. Tertiariis, praecipue junioribus et undequaque haud

Digitized by Google

probatis, nimis fidant; hinc exiguam tantum de septimana in septimanam eisdem pecuniae summam ad manus consignent, et vigili, ubi opus fuerit, eos observent oculo, ut cognoscatur, an revera fideles sint administratores eleemosynae Fratrum.

10. Eodem modo et loco, commixtae scilicet cum reliqua Conventus eleemosyna, conservandae sunt etiam eleemosynae singulorum Religiosorum indigentiis deputatae. Et ne confusio aut error oriatur tum Superior, tum Substitutus diligenter adnotet, quantum singulis deputatum sit, et quantum cum licentia sui Guardiani expenderit.

11. Ergo si quis eleemosynas pecuniarias sibi obvenientes per se levare, accipere, in cella retinere, per se vel per interpositam personam sine scitu et absque licentia Superioris pro lubitu suo expendere, de eis pacisci, v. g. pro pacta pecunia sacros sermones proferendos suscipere, pueros instituere, arti aut manuali labori incumbere repertus fuerit, talis revera foret proprietarius, dum nullum adesset discrimen inter viros religiosos paupertatem professos et homines saeculares, qui pro pacta mercede operantur. Haec non nostra, sed sanctorum Patrum est doctrina; ita pariter Expositores S. Regulae nostrae tenent; ita hucusque omnes Ministri Provinciales docuerunt.

CAPUT QUINTUM.

De modo laborandi.

§. I. *De occupationibus honestis.*

1. Quamvis Seraphicus Pater in hoc Regulae capite de labore faciendo juxta declarationem *Nicolai* III. solos Fratres Laicos respexerit, Superiorum tamen obligatio et cura est, ut omnes Religiosi, tam Tertiarii, Laici et Clerici, quam etiam Sacerdotes, aliquo sive manuali, sive litterario, sive alio honesto, sibique competenti labore occupentur, omni tempore, ut sic semper effugiant otium, malorum sentinam, virtutis pestem, et vivi hominis sepulturam.

2. Neque per hoc ad manuum laborem adstringere intedimus eos, qui divinis officiis et ministeriis sacris addicti vel ipsi litterarum studiis operam navant, vel in iisdem

Digitized by Google

alios instituunt, cum hoc ipsum studium labor sit maxime honestus, Ordinique perutilis.

3. Quapropter statuimus, ut ad pellendum maxime detestandum otium, animae inimicum, omnes Laici, aliqua arte statui proportionata imbuti, illa occupentur, et alii his adjungantur, ut ab eis artem, quantum fieri potest, addiscant, aut in eadem sese perficiant, et sic Provinciae evadant magis proficui et utiles. Superiores, qui Tertiarios et Laicos ad laborem non adstringunt, eosque commonere, et, ubi opus fuerit, compellere negligunt, a Ministro Provinciali corripiantur.

4. Qui gratiam habentes laborandi pileos, chordas, coronas et similia fabricare sciunt, ea nec venalia facere, nec sponte sua commutare praesumant; sed in hoc etiam, prout decet, a Superiorum nutu dependeant. Ideo dum opera similia perfecta fuerint, statim indicentur aut consignentur Superiori, qui pro sua prudentia et discretione de eisdem disponet.

5. Ut Fratres Tertiarii et Laici eo magis correspondeant fini, ob quem in Ordinem suscepti existunt, singuli teneantur pluribus officiis satisfacere, pro ingenii et habilitatis qualitate, operaque manualia in Conventu, quantum fieri potest, omnia perficere, ne famuli saeculares ad Refectorium, aliasque interiores officinas admittantur, nisi ubi aliter fieri nequiret; hortorum praecipue sedulam culturam exerceant.

6. Ordinamus, ut in quolibet Conventu Pater unus a Ministro Provinciali nominatus deputetur, qui singulis septimanis, nisi sufficienti quadam ratione impediatur, die et hora, quae Conventualibus laboribus minimum causet praejudicium, semper tamen eadem, omnes Fratres Tertiarios et Laicos, nec canitie ullum excipiente, in sua Cella super doctrina christiana, Regulae nostrae tenore, praeceptis, eorumque sensu, nec non votorum solemnium gravitate instruat, informet et exhortetur; quod sic illi cum merito, Fratribus vero Tertiariis et Laicis sub poena panis et aquae injungitur.

§. II. *De studiis et studentibus.*

1. Cum litterarum studia Ecclesiae Dei et Religioni nostrae ornamento, et emolumento semper extisterint, decerni-

Digitized by Google

mus et mandamus, ut Minister Provincialis super studiorum profectu diligenter invigilet, ipsisque Lectoribus et studentibus de rebus necessariis, tam ad victum, quam vestitum pertinentibus, ac ea omnia, quae ad rem litterariam pro statu nostro pertinere judicaverint, per Superiores locales, quantum possibile fuerit, providenda curet.

2. Praecipua quippe cujusvis Religiosi Instituti Superiorum cura ac sollicitudo indefessa debet esse, prout semper fuit, ut quos in suum susceperint gremium alumnos, non tantum Novitiatus ac Junioratus tempore piis, solidisque exhortationibus ad exactam S. Regulae ac Statutorum observantiam, omnemque pietatem formare studeant, sed etiam, cum virtus sensim increscat, lente perficiatur, solideturque, nec proficua esse possit proximo, praesertim in sacerdote, nisi juncta sit scientiae, eosdem durante studiorum curriculo ita dirigere satagant, ut praemuniantur, et contra seductionis pericula, et stimulentur ad eum in litteris profectum, quo non tantum sibimet ipsis, sed etiam juxta sanctissimi Fundatoris nostri mentem aliis aliquando proficere valeant.

3. Quum autem, docente Ecclesiaste, *omnis sapientia a Domino et ejusdem sapientiae initium timor Domini sit*, atque juxta gentium Apostolum *pietas ad omnia utilis* existat, ante omnia attendant studentes, ne, dum scientiis acquirendis operam navant, devotionis spiritum, cui, Seraphico Patre nostro dicente, caetera temporalia debent deservire, in se non tantum non extinguant, sed imo augere, conservareque satagant quam diligentissime. Hinc preces matutinas atque vespertinas quotidie devote peragant, Officio divino ac Missae Conventuali corde magis, quam corpore assistant; pro accessu ad s. Synaxim debitam semper faciant praeparationem, eaque sumpta fervidas agant gratias, priusquam ad alia transeant negotia; atque dum Sacerdotibus in Altari deserviunt, praescriptum a Rubricis ordinem servent, modestiamque talem in cunctis demonstrent functionibus sacris, ut in rudi etiam populo Christifideli ex solo aspectu devotionis spiritum queant excitare.

4. Praescriptae pro studio horae adcurate ab omnibus serventur, nec aliquis sub qualicunque specioso titulo aut praetextu sese eximat, videlicet in aestate ab hora quarta matutina, in hieme vero ab hora quinta usque ad Chorum; et ab hora prima a prandiis usque ad secundam, atque ab hora media sexta usque ad septimam, ab octava usque ad

Digitized by Google

nonam vespere, ut ita ex privato hoc studio ad pralectiones, suis temporibus percipiendis, melius praeparati accedant.

5. A frequentando Choro nullus studentium sit exemtus, nisi in quantum publicarum praelectionum tempus, vel infirmitas aliqua, quempiam adesse prohiberet.

6. Stricte prohibentur omnes confabulationes clamorosae, cachini inconvenientes, familiaritates cum saecularibus et conventicula superflua, praecipue vespertina, quibus non solum pretiosum tempus inutiliter teritur, sed et religiosa modestia deperditur, disciplina claustralis dissipatur, multaque alia causantur mala.

7. Quoties Patres ac Fratres Studentes recreationis gratia exire contigerit, id nonnisi dato a Superiore socio fiat, accepta in itu et reditu semper benedictione. Socium dabit Superior, non eliget exiturus. Pro accesu ad saecularium domos specialis necessaria est licentia Superioris, quae vero solitaria nunquam concedatur.

8. Si quandoque studiosae juventuti ad refocillandum animum recreatio fuerit concessa vespertina, ea moderata sit oportet, et ultra religiositatis limites non extendatur, iis quoque diebus absque gravi ratione non concedatur, qui studiis sunt deputati. Pulsato silentio quique ad scholam, aut ad sua sese recipiant cubicula, aut lectioni aut orationi vacaturi.

9. Qui in gravi necessitate nivis aut pluviarum tempore ocreati exiverint, domum reversi ocreas, quippe quarum usus extra necessitatis casum omnino est prohibitus, illico exuant. Crepidae quoque in Altaris tantum ministerio permittuntur.

10. Patres ac Fratres studentes, quousque ad publice praedicandum non fuerint approbati; singulis annis binos in Refectorio sermones exercitii causa habeant, nec prius admittantur praedicare populo verbum Dei, quam juxta S. Regulam adprobationem acquisiverint.

11. Tandem omnes serio admonentur in Domino, ut conscientiam semper ab omni iniquitate prorsus mundam conservare satagant, ne vel ad celebrandum incruentum Missae sacrificium, vel ad percipiendam s. Synaxim immundi accedant; ideo nemo propriae salutis sit incurius, ut Sacramentum poenitentiae, quod secundum post naufragium est tabula, aut negligat, aut vilipendat. Insuper alia adhuc Statuta particularia pro studio domestico lata, quotannis, sicut hucusque, promulgentur exacte adimplenda.

Digitized by Google

§. III. *De Lectoribus, Professoribus et scholae Magistris.*

1. Patres Lectores tam Philosophiae, quam Theologiae, qui in Studio domestico excolendae Juventuti Religiosae destinati sunt, inprimis serio recogitent, quanti momenti sit munus, quo funguntur; futurus enim faustus vel infaustus Provinciae hujus status ab illorum cooperatione vel quam maxime dependet, quia Spiritu Sancto teste *Prov. 22,6. Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.*

2. Hinc horas praelectionibus destinatas sedulo impendant institutioni Iuventutis Religiosae sibi concreditae omnemque adhibeant conatum, ut eadem solide erudiatur in praescriptis disciplinis litterariis; et ut hunc finem assequantur eo certius, relicto omni proprii commodi studio, juxta talenta coelitus sibi concessa, ita eisdem alumnis Religiosis diligenter, pie et charitative scientias competentes instillare satagant, studiaque respectiva, tam matutina, quam vespertina saepius visitent, ac secus etiam Studentium conversationi solerter invigilent, ut et a Superioribus laudem, et a Deo convenientem laboribus suis mercedem recipere mereantur.

3. Admonentur Patres Lectores, ut recordentur, se esse subditos suis Superioribus, eisque omnem obedientiam et reverentiam se debere. Quapropter dabunt operam, ut pro conservanda pace et religiosa tranquillitate mutuam cum Superioribus sive majoribus, sive localibus cointelligentiam, tam in odiosis, quam in favorabilibus, quae ad studia spectant, perpetuo colant, ut eorum religiosa unione, et charitate mutua etiam studentes a discordiis ac simultatibus cohibeantur; et dum quacunque ex ratione exeunt, et aliis in punctis disciplinaribus observare teneantur praecepta omnibus communia.

4. In omnibus praeterea exercitiis scholasticis Iuventutem sibi commendatam ita erudiant, ut illud Seraphici Patris nostri monitum S. Antonio Patavino datum, semper prae oculis habere videantur: *Sic legas, ut neque in te, neque in caeteris sanctae orationis spiritum extinguere videaris.* Procurabunt proin Patres Lectores serio, ut Iuventutem sibi concreditam non solum litteris, sed vel maxime pietate, atque timore Domini imbuant; quod praestabunt, si eidem Iuventuti optimae vitae exemplis constanter praeluxerint.

5. Pro aliquali autem honesti ac utilissimi laboris

Digitized by Google

sui compensatione habebunt omnes Lectores singulis hebdomadibus bina sacra libera; quo beneficio gaudebunt etiam Lectores supplentes. Qui vero in Conventu, ubi studia existunt, pro occupanda suo tempore quadam cathedra se praeparant, quin actu aliquas praelectiones faciant, alternative una hebdomada unum, et altera duo sacra libera habebunt. Caeterum curae, et discretioni Superiorum localium committur, ut secundum status nostri aliarumque circumstantiarum conditionem eis, qui pro communi Provinciae bono adlaborant, quantum fieri licuerit, de necessariis provideatur.

6. Eadem nunc dicta etiam de illis Religiosis, qui in providendis publicis, ab Altioribus Potestatibus huic Provinciae concreditis scholis occupantur, juxta convenientem proportionem intelligenda sunt.

7. Patres igitur Gymnasiorum Professores, et scholarum popularium Magistri, quamvis publicis fungantur officiis, nunquam abliviscantur Votorum, quae Deo nuncuparunt, et Status Religiosi, quem nemine cogente, amplexati sunt. Quamobrem in omnibus subsint Superioribus suis, nullas exemptiones particulares praetendant, aut propria auctoritate quidquam, quod disciplinam claustralem concernit, disponant. Meminerint frequenter, se talibus deputatos esse muniis, quibus, si ea conscientiose exacteque obiverint, et sibi tam coram mundo, quam coram Deo multa merita comparare, et utrique Reipublicae tam sacrae, quam civili perutiles evadere possunt.

8. Occupantur namque hi generatim in instruenda, educandaque Iuventute; docente vero S. Chrysostomo: *Quid majus, quam animis moderari, quam adolescentulorum fingere mores? Omni certe pictore, omni certe statuario, caeterisque hujusmodi omnibus excellentiorem hunc duco, qui juvenum animos fingere non ignorat.* Ut autem excellentissimum hunc scopum assequantur eo securius, non verbis tantum juventutem sibi concreditam sedulo instruant, humane charitative tractent, debiles magis sublevent, desides et ignavos cum prudentia excitent ad majorem applicationem, magna patientia se praemuniant, nulloque partium studio se abripi unquam sinant; sed religiosae praesertim vitae exemplis eandem aedificent, in timore Domini semper magis confirment, et ad omne bonum quodammodo trahant, quum omnium oculi in ipsos, quam maxime sint intenti.

9. Si aliquando extra horas praelectionibus schola-

Digitized by Google

sticis praescriptas, quosdam pueros instruant, id ex charitate et zelo, ad majorem eos provehendi perfectionem, faciant; nunquam vero pro privatis hisce instructionibus aliquid ab eis exigere seu praetendere praesumant, quod statum nostrum dedeceret omnino.

10. Remunerationes autem illas pecuniarias, quas ipsi Professores et Magistri pro suis laboribus aut ex fundis publicis, aut undecunque percipiunt, Superiores locales apud Syndicum, vel ejus Substitutum deponi, cum Communitatis eleemosyna conjungi, et subin pro veris illorum necessitatibus expendi faciant. Hinc ipsis Professoribus et Magistris nullo modo liceat, tales remunerationes tanquam proprium quid (cujus sumus incapaces) considerare, eas apud quascunque personas deponere, sua sponte administrare, aut in res frivolas, superfluas, curiosas, aut quomodocunque statui nostro contrarias expendere; sed in his, prout in cunctis aliis semper dependeant a judicio et nutu Superiorum suorum, quibus, sicut et omnibus scholarum Praepositis, debitam submissionem, obedientiam ac reverentiam prompto semper animo exhibere teneantur.

§. IV. *De Bibliotheeis el bibliothecariis.*

1. Quum scientia, Sacerdotibus adeo necessaria, requirat studium, exercitium vero studii convenienter haberi non possit sine usu librorum, ordinamus, ut in quovis Conventu pro collectione et repositione librorum, ad communitatem spectantium destinata sit aliqua cella major, aut aliter locus competens, mundus, siccus et aurae pervius, in quem omnes Conventus libri congregentur et pro communi Fratrum usu conserventur, ut ubique aliqua Bibliotheca existat.

2. Ne autem Religiosi, quocunque demum fungantur munere, ob competentium librorum defectum inscitiam suam excusandi nanciscantur occasionem, praecipitur Superioribus localibus, ut quilibet in suo Conventu conservandae, augendaeque Bibliothecae praecipuam ac solertem impendat curam, atque de sufficienti necessariorum pro communitate librorum numero diligenter provideat; et in illis praecipue Conventibus, qui ad Ordinis Iuventutem educandam destinati sunt, quantum oeconomiae status prudenter admiserit, Bibliothecae bonis, utilibus, sanis et probatis libris omni sollicitu-

Digitized by Google

dine amplientur. Hinc statuitur, ut singulis annis inferiores Conventus infra duodecim, majores vero infra viginti quatuor florenos in libros non expendant. Delectus autem librorum comparandorum, quum nostro praecipue aevo inter tot bonos et commendandos innumeri etiam mali ac pestiferi reperiantur auctores, cum maturo semper judicio et praemissa peritorum consultatione fiat, ne Conventuum eleemosynae gratis, aut cum gravissimo etiam damno expendantur.

3. Tempore Capituli vel Congregationis pro singulis Conventibus instituantur Bibliothecarii, viri competente facultatum, librorumque notitia pollentes, qui libros disponant, ordinent, purgent, reficiant, reparent (quantum ipsi possunt) ac caetera praestent, quorum executione Bibliothecae vel amissum splendorem recipiant, vel obtentum retineant.

4. Ut vero Bibliothecarum indemnitati consulatur, universi tam Superiores, quam subditi sub gravissimis poenis Superiorum arbitrio infligendis (imo S. *Pius* V. Bulla *Cum, sicut accepimus*, data Romae ad S. Petrum sub annulo piscatoris 4. Nov. 1568. confirmata per Breve Apostolicum Innocentii XI. die 16. Octobr. 1683. desuper statuit excommunicationis poenam ipso facto incurrendam) nullo modo, neque per se, neque per Syndicum Apostolicum, quovis praetextu, colore vel causa alienent, vendant, commutent, sive aliter distrahant defunctorum Fratrum libros; aut eos, qui ad particulares Bibliothecas quavis ratione pertinent, vel quovis modo seu titulo fuerint monasterio acquisiti.

5. Licebit autem Bibliothecario aut Superiori locali tot libros cuilibet Fratri concedere, quot juxta singulorum qualitates et officia necessarios Superior judicaverit. Si tamen de Superiorum consensu exteris personis secus notis librum aliquem, ad Bibliothecam spectantem, commodare contigerit, id nonnisi adhibita semper sufficienti cautela fiat, accepta etiam cautione eorum, quibus commodantur, propria manu signata, ne libri aut pereant, aut destructi restituantur, aut nimis longo tempore extra Conventum remaneant.

6. Teneatur quilibet Catalogum librorum, quos in cella retinet, Superiori vel Bibliothecario tradere, et ita perceptos libros ante suum ex Conventu discessum, vel dum iisdem ultra non indiguerit, eidem fideliter reddere, denuo ad Bibliothecam reponendos. Bibliothecarius vero in suo ad alium Conventu discessu successori, aut Superiori locali

Digitized by Google

omnium Bibliothecae librorum juxta eorumdem Catalogum rationem dare obligatur.

7. Minister Provincialis teneatur Fratrum libros Bibliothecis Conventuum, in quibus defecerint, fideliter applicare. Quodsi vero in eis libri similes praeexistunt, poterit de consilio Definitorii, alterutra publica utilitate, alterius Bibliothecae eos incorporare, eo ordine, ut prius locis consulat habentibus studia litterarum.

8. Si quis autem Fratrum aliquem librum, aut opusculum quantumcunque parvum, a se compositum typis dare, vel etiam praeexistens reimprimi facere desideraverit, illud non Censurae tantum ab altiori foro fors praescriptae, sed eatenus licentiam et annutum Ministri Provincialis debite exquirere obligatur. Nec ephemeridibus ullus conceptus aut publicatio ab aliquo Confratre inseratur sine praescitu Superioris localis.

CAPUT SEXTUM.

Quod Fratres nihil sibi approprient, de eleemosyna petenda, de hospitibus et de Fratribus infirmis.

§. I. *De paupertate altissima, de Legatis et Missis.*

1. Beatissimus Pater noster Franciscus, ut Fratres suos eo facilius ad coelestia erigeret, quo magis a terrenis rebus alienos fecisset, eorum portionem dixit paupertatem altissimam, et nihil eis in hoc mundo sive in particulari, sive in communi proprium esse voluit.

2. Hinc pro puriore sanctae paupertatis observantia universaliter praecipimus, ut qui aliquid quodcunque demum acquirit, illud, quam primum poterit, Superiori exhibeat, ab eoque licentiam accipiendi, et retinendi vel utendi humiliter petat. Pariter praecipimus, ne quis sine licentia Superioris de rebus Conventus, vel particulari usui concessis aliquid elargiatur, exceptis solis munusculis spiritualibus, quae cum licentia Superioris ideo accepta habentur, ut aliis piè distribuantur. Illis quoque, praesertim Laicis, quibus administratio eleemosynae commissa est, prohibitum sit, quidpiam propria auctoritate sine licentia Superioris, et multo minus contra voluntatem ipsius nostris vel aliis distribuere, delinquentes

Digitized by Google

puniantur; sicut et illi, qui in administratione et applicatione commissae eleemosynae negligentes et luridi existunt, illamque dilapidant, distrahunt, vel perire sinunt.

3. Praecipimus igitur proprietatem quarumcunque rerum a Fratribus omnibus penitus esse amputandam, et supellectilem omnem, cum paupertate seraphica non compatibilem, prout sunt imagines, picturae, aut his similia nimis pretiosa et curiosa, prorsus tollendam; nec Frater aliquis aliam supellectilem habere, vel retinere possit, nisi quam Superior admiserit, cujus conscientiam super hoc oneramus. Memores illius effati S. Bernardini Senensis : " Proprietarii sunt, qui rem habitam reservant superflue, aut reponunt, qui reponunt, nolentes uti, ne destruatur, aut in futuro sibi deficiat. „

4. Hinc mandamus Superioribus localibus, ut soepius in anno associati duobus Patribus dignioribus Conventus discretis cellas visitent, omnia, quae statum nostrum non decent, vel superflua censentur, tollant, et permittant sola necessaria, quae si non adsint, prout per facultates licuerit, diligenter provideant.

5. Majoris aedificationis causa, et ob plures alias rationes statuitur, ut in omnibus Conventuum nostrorum locis, praecipue vero in Ecclesia, Sacristia, Choro, cellis, Refectorio, ambitu interiori, horto etc. exacta servetur mundities, cunctis semper in debito ordine, et non hinc inde inordinate dispersis apparentibus, atque a pulvere, omnique alia macula purgatis remanentibus, curam munditiei singulis pro loco sibi concesso gerentibus. Specialiter autem observetur, ut Altaria convenienti instrumento singulis diebus a pulvere mundentur; Chorus vero et Refectorium quavis septimana bis everrantur.

6. Superiores locales nullum novum aedificium inchoent seu expensas valorem 50 florenorum excedentes, in Ecclesiis aut Capellis ornandis, seu aliis fabricis faciant, aut inovari permittant, nisi prius habita licentia in scriptis a Superiore majori, sub poena Ministro arbitraria; teneantur tamen Superiores locales ad praecavendas majores expensas diligenti cura invigilare, ut aedificia monasteriorum, sarta tecta, paramenta ecclesiastica et hujusmodi ubique, quantum necessarium fuerit, reparentur et conserventur. Superior localis proventus pro restauratione Conventus destinatos convertens in alia incompatibilia, suspendatur ab officio.

Digitized by Google

7. Mandamus insuper ad conservandum paupertatis thesaurum, ut in cibo, potu, vestitu, caeterisque ad Seraphicum institutum pertinentibus nulla differentia intercedat, et meum ac tuum frigidum illud verbum a nullo audiatur, et omnia *nostra* vocentur, prout sancti Praedecessores nostri servare consueverunt. Omnes quoque Fratres, praecipue Majores, quorum exemplo alii ducuntur, paucis et humilibus contenti sint, prout decet servos Dei, et paupertatis sanctissimae sectatores.

8. Superiores omnibus communitatibus diligenter intersint, quantum occupationes admiserint; qui vero communitatem non servaverit, ad omnia Ordinis Officia declaratur inhabilis.

9. Decernimus, ut Legata perpetua non recipiantur, nisi cum expressa protestatione coram haeredibus facienda, quod Fratres ad illas annuas eleemosynas ex Legatis, sive cum onere Missarum, sive sine eo, prorsus nullum jus habeant vi *Legati*, nec ad Sacra obligentur. Qua tamen protestatione non obstante, si haeres, vel executor ex sua libera voluntate voluerit illas eleemosynas dare annue, et Fratribus illa sacra committere, poterunt Fratres tuta conscientia recipere illas eleemosynas, et juxta doctrinam S. Bonaventurae in duabus Congregationibus generalibus receptam, et in Romana Rota examinatam legata habere permissum est. Cum autem ad Regulae puritatem servandam omnes census et legata perpetua publico instrumento sint resignata, ordinamus, ut Superiores locales authoritative se non immisceant, quasi jus et dominium habeant in ejusmodi censibus, cum, licet alii eos ex obligatione solvere debeant, nos illos nonnisi per eleemosynam sine jure exigendi recipere valeamus; hinc si tractu temporis haeres vel executor a suo munere deficeret, Fratres nec per se, nec per Syndicum trahere eum possunt ad judicium, sed ad Sacra persolvenda amplius non tenentur.

10. Quolibet autem mense fiat per Discretos revisio Missarum manualium et perpetuarum fideliter persolutarum, et ad Capitulum et Congregationem Definitorialem mittatur testimonium tam de fideliter a quovis Sacerdote lectis seu applicatis Missis juxta intentionem sibi a Superiore praescriptam, quam de peracta revisione juxta Constit. Innocentii XII. *Nupera Congregatione* de die 23. Dec. 1697. Si autem aliquae Missarum intentiones fuerint superfluae, non extradan-

Digitized by Google

tur Sacerdotibus saecularibus sine praescitu Superioris majoris, donec Conventus nostri iisdem carent, sed Procuratori Provinciae mittantur. Nullo autem modo restent intentiones sine stipendiis, qua de causa omnibus Superioribus serio inculcamus, ne stipendia Missarum nondum persolutarum in usum Conventus convertant, sub poenis in fraudatores vel dilapidatores statutis, ultra poenas per Decreta apostolica de *Celebratione Missarum*, quae inviolate servanda sunt, sancitas.

11. Sub gravissima poena praecipimus, ne Patres Confessarii sese immisceant ad testamenta, seu ultimas saecularium voluntates, nisi pro mero consilio fuerint enixe rogati et desiderati; neque moribundis suadeant, ad aliquam eleemosynam Conventui aut Ecclesiae nostrae deputandam, vel qualecunque beneficium praestandum.

§. II. *De eleemosynarum quaesitione et fraterna dilectione.*

1. Ad quaerendas eleemosynas Superiores locales Patres et Fratres mittant, quos morum innocentia et gravitate magis idoneos judicaverint; missi autem bene meminerint et perpendant, quod, sicut per vere religiosam et exemplarem conversationem pro Dei gloria, animarum salute et bono Religionis plus, quam alii conferunt, sibique magnum meritum et largam benedictionem divinam acquirunt, ita econtra per irreligiosam, scandalosam conversationem, mores et vitam plus, quam alii Deum offendant, mundum scandalizent, Ordinem diffament ac tremendam maledictionem Dei et S. Patris incurrant. Quare praefatos Collectores ab omni excessu in potu, ab omni etiam umbra suspecti consortii cum altero sexu, chartifoliorum usu, lite et contentione verborum, ira et indignatione, nec non quavis alia irreligiosa vel scandalosa conversatione longe alienos sese exhibeant. In aliquo horum reos (utpote magis nocivos) plus, quam alios irremissibiliter puniri volumus. Sicut econtra exemplares et debita cum religiositate juxta dicta munere suo fungentes favore prosequi intendimus, et ut etiam Superiores locales debita charitatis obsequia suis temporibus illis exhibeant, mandamus.

2. Ut charitatem, utpote a Deo nobis specialiter demandatam et a S. Patre Francisco tantopere commendatam et inculcatam, erga omnes, praesertim mutuam inter

Digitized by Google

nosmetipsos continuam in scriptis, factis et verbis exhibeamus, et omnia eidem contraria semper et ubique solicite vitemus per viscera misericordiae Dei enixe rogamus et hortamur; hinc iniquarum factionum et dissensionum capita graviter puniantur.

3. Si quis timore Dei postposito aliquem Fratrem in Ordine, vel extra Ordinem diffamare, vel aliquid in praejudicium Ordinis revelare ausus fuerit, severius puniatur, iterato reus pro discolo declaretur. Quare stricte prohibemus, ne quis aliquid dicat, quod in alicujus diffamiam cedat, vel inter Fratres dissensionem, vel scandalum afferat. In quo quidem momento per viscera charitatis Dei et Religionis nostrae dilectionem exhortamur omnes Patres et Fratres sub gravissima Superiori majori reservata poena, ne secreta Provinciae, Conventus vel Fratris alicujus particularis (*contra Decretum Clementis VIII.*), sive scripto, sive oretenus, sive etiam nutu aliis, maxime extraneis, et saecularibus temere revelent, ad gravem totius Provinciae erubescentiam aut praejudicium et confusionem. Hinc omnibus Superioribus et subditis, quibus adhuc cordi est honor et decus Religionis, sub merito obedientiae praecipimus, ut ejusmodi Fratres vere detestabiles sine ullo respectu personae Superiori majori denuntient, qui postea cognita rei veritate, sine ulla remissione poenis infallibiliter castigentur ad aliorum exemplum et terrorem.

§. III. *De religiosa hospitalitate.*

1. Cum seraphicus Pater in hoc Regulae Capitulo suavissime moneat, *ut ubicunque sunt, et se invenerint Fratres, ostendant se domesticos inter se*, omnibus Superioribus localibus merito commendamus charitatem peregrinis et advenis exibendam, non Fratribus tantum Ordinis nostri; sed si quos etiam cujusvis alterius Ordinis Religiosos hospitii causa ad loca nostra divertere contigerit, eadem, quae nostris, praestentur illis obsequii et charitatis officia, et majora quoque, prout per facultates licuerit.

2. Cum praeterea Ordo noster in humilitate praecipua et charitate fundatus sit, noverint Fratres personas omnes ecclesiasticas modeste, humaniterque habere, ita ut in omni conversatione nostra nil aliud experiantur, quam humilitatis signa, officia servitutis et reverentiae argumenta.

3. In singulis proinde Conventibus, saltem majoribus,

Digitized by Google

deputetur Frater aliquis idoneus, charitativus et discretus, pro suscipiendis hospitibus, qui eos ad praeparatum cubiculum ducet, eisque omnia charitatis et humanitatis officia, prout decet, exhibebit. Accurata vero horum observantia Patribus Conventuum Vicariis specialiter commendatur.

4. Monentur Superiores locales, ut litteras obedientiales adventantium hospitum, sive ex nostra, sive ex aliena sint Provincia, usque ad eorum discessum penes se retineant; hospitum insuper extraneorum praevie in libro, ad hoc parato, Obedientiales integras describi faciant.

5. Fratres hospites nostrae Provinciae, de Conventu in Conventum migrantes, teneantur post tertium adventus sui diem Chorum frequentare, et in omnibus vitam sequi communem. Egressum autem ex Conventu quod attinet, ad quemcunque Conventum accesserint, ejusdem Superiori semper subsint, nec unquam absque hujus scitu et annutu eis exire, minus solitarie per civitates et loca pro lubitu circumvagari liceat.

6. Qui vero ex obedientia quatuordecim dierum, vel ultra, extra Conventum suum commoratus fuerit, domum redux ceu hospes recipiatur.

§. IV. *De Fratribus infirmis.*

1. Cum non Regula tantum nostra, sed Lex etiam naturalis et positiva divina infirmorum curam specialiter urgeat, praecipimus et ordinamus, ut in Conventibus, in quibus fieri potest, infirmariae erigantur, quibus Minister Provincialis communi Patrum consilio Fratres praeficiat peritos, misericordes, benevolos cum sociis ad id maxime idoneis, qui, quanta poterunt charitate, diligentia, patientia die noctuque infirmis assistant, serviant, opitulentur, atque ministrent. Res vero quascunque pro infirmis destinatas, vel ad valetudinaria ipsa quacunque ratione pertinentes, ab eis auferri vel ad alios usus quovis praetextu applicari non liceat sub poena Superioris arbitrio infligenda.

2. Juxta declarationem autem *Clementis* V. Fratres serviant *per se* Fratribus infirmis; ideoque pueri, famuli, aut quicunque saeculares ad infirmorum Fratrum servitia non assumantur, nisi in illo necessitatis casu dum ad hunc scopum in Conventu Fratres sufficientes haberi non possunt.

Digitized by Google

3. Cibus et medicamenta ita opportune semper administrentur infirmis, sicut et charitatis ratio postulat, et per facultates licuerit, et ne quid eis desit, omni studio sollicitam curam gerant Superiores locales, ita tamen ut *contra* praescriptum medici aegroto nihil permittant.

4. Guardiani et Vicarii infirmos quotidie visitent, ut et solatio illis sint, et ab eis, quae necessaria fuerint, melius cognoscant. Caeteri etiam Fratres, et quidem, quantum fieri potest, extra tempus silentii, soepius eos visitent, adjuvent, et pie in Domino consolari studeant; hinc evitent locutiones inordinatas, inutiles garritus et conventicula.

5. Provinciales ipsi, ubi infirmos invenerint, per se illos adeant, et diligenter quaerant, an Superiores, an infirmarii et socii, aliique Fratres, an etiam medici opportune adsint, an dentur, quae necessaria, et si quempiam aut avaritia, aut negligentia, aut alias peccasse noverint, opportune coërceant; quos vero graviter deliquisse viderint, convenienter puniant pro culpae modo.

6. Infirmos insuper omnes serio monemus, ut statim ab initio infirmitatis suae studeant per sacramentalem Confessionem et veram poenitentiam mundare conscientiam; sint memores altissimae paupertatis et abdicationis propriae voluntatis; hinc de rosariis, imaginibus et similibus prorsus nihil distribuant, aut dispensent sine scitu Superioris sui, meminerintque patientiae, et sic non erit *clamor in valetudinario, si patientia fuerit in infirmo et charitas in infirmario.*

7. De caetero nullus infirmitatis causa medicum vocare et medicinam ab eo procurare audeat, nisi prius licentiam humiliter petierit a Superiore locali, quia experientia teste nonnulli nimis delicati sunt et infirmitatem vel simulant vel saltem exaggerant. Proficisci vero ad balnea majora (thermas) nonnisi ob gravissimam causam et secundum judicium medici justi a Ministro Provinciali tantum concedi potest.

CAPUT SEPTIMUM.

De poenitentia Fratribus peccantibus imponenda.

§. I. *De Sacramento poenitentiae.*

1. Patres Confessarii, ut sacrum Poenitentiae Sacramentum ad propriam, animarumque ad ipsos recurrentium

Digitized by Google

salutem rite, digne et sancte administrare valeant, probatos Auctores theologicos, praecipue Moralem et Ascesim pertractantes, frequenter legant, seduloque evolvant, ne secus ea, quae semel didicerant, oblivioni tradant, sed potius in scientia et doctrina continue crescant.

2. Guardiani, eorumque Vicarii sint plurimum soliciti, ut per sedulam et devotam sanctissimorum Poenitentiae et Eucharistiae Sacramentorum frequentiam in suis subditis sanctae conversationis puritas, et devotionis spiritus conservetur.

3. Omnes Fratres Clerici, Laici et Tertiarii ad minimum semel in hebdomada confiteantur; Sacerdotes etiam omnes propter sanctissimum Missae Sacrificium, quod singulis diebus tractant, conscientias suas sanctas et mundas tenere et conservare satagant, et ideo ipsi quoque Confessionem sacramentalem non nimis procrastinent.

4. Religiosis omnibus attribuiter liber ad quemcunque Confessarium Provinciae, alioquin approbatum, accessus, qui a peccatis, non tamen reservatis, nisi hac quoque facultate sit instructus, eos absolvat; ad Confessarios vero, qui non sunt Ordinis membra, ipsis non licet recurrere, nisi in itinere et casu manifestae necessitatis, dum Confessarius Ordinis haberi nequit.

5. Ad testandam mutuam fraternam charitatem ordinamus, ut pridie Coenae Domini ad serum post meditatiunculam et brevem allocutionem a Superiore factam in fraterno et seraphico amplexu unus ab altero, nemine dempto, offensae et erratorum contra charitatem commissorum veniam humiliter postulet, ut Deus dimittat debita nostra, sicut et nos dimittimus ex corde Fratribus nostris.

§. II. *De casibus reservatis.*

1. Quoniam in Ecclesia, Dei prout docet *Conc. Trident. Sess. XIV. Cap. 7. de Poenitent.* semper in usu fuit, ut atrociora quaedam et graviora crimina non a quibusvis, sed a summis duntaxat Sacerdotibus absolverentur; non summi tantum Pontifices, et Episcopi Dioecesani, sed Regularium etiam Superiores jurisdictionem quasi episcopalem habentes, nonnullos casus sibi reservare consueverunt, a quibus nullus inferior Sacerdos, quamvis secus jurisdictione ordinaria do-

Digitized by Google

natus, valide ac licite absolvere valet, nisi a Superiore respectivo debitam acceperit absolvendi potestatem.

2. Pro Regularibus vero *Clemens VIII. Decreto dato Romae ad S. Petrum sub 26. Maji 1593*. undecim Casus declaravit reservabiles, eo adjecto, ut, si aliud praeterea peccatum grave pro Religionis conservatione, aut pro conscientiae puritate reservandum judicabitur, id non aliter fiat, quam generalis Capituli in toto Ordine, aut Provincialis in Provincia, matura discussione et consensu.

3. Illi autem a *Clemente VIII.* indicati, et in Provincia nostra *Casus reservati*, sunt sequentes undecim: Veneficia et sortilegia. 2. Apostasia a Religione, sive habitu dimisso, sive retento, quando eo pervenit, ut extra septa Monasterii seu Conventus fiat egressus. 3. Nocturna et furtiva e monasterio, sive Conventu egressio, etiam non animo apostatandi facta. 4. Proprietas contra votum paupertatis, quae sit peccatum mortale. 5. Lapsus carnis voluntarius, opere consummatus. 6. Occisio, aut vulneratio, seu gravis percussio cujuscunque personae. 7. Malitiosum impedimentum aut retardatio vel apertio litterarum a Superioribus ad inferiores, et ab inferioribus ad Superiores. 8. Juramentum falsum in judicio regulari seu legitimo. 9. Procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum post animatum foetum, etiam effectu non secuto. 10. Falsificatio manus aut sigilli officialium Provinciae aut Conventus. 11. Furtum de rebus Monasterii seu Conventus in ea quantitate, quae sit peccatum mortale.

4. Circa quos Casus declaramus, quod ab illis absolvere possint Superiores locales, Patres Provinciae emeriti, P. P. Custodes et Definitores tum actuales, tum habituales. Insuper in quolibet Conventu Minister Provincialis designet unum, aut plures juxta majorem vel minorem Religiosorum numerum Confessarios, viros doctos, probos et prudentes, quibus facultatem in reservata pro foro conscientiae dabit; durabitque in his deputatis Confessariis absolvendi a reservatis auctoritas, usque dum non transferantur ad alium Conventum, aut de illis aliter disponatur. Unde declaramus, facultatem absolvendi a reservatis nullatenus esse perpetuam in Confessariis deputatis pro Conventu, sed restrictam ad locum et tempus.

5. Saluti animarum paterne prospicientes concedimus cuilibet Patri et Fratri liberam peccatorum etiam reservato-

Digitized by Google

rum Confessionem per annum diebus sequentibus: In Nativitate D. N. I. Ch., Dominicis Paschatis et Pentecostes; in solemnitatibus Ss. Nominis Jesu, Immaculatae Conceptionis et Assumptionis B. V. Mariae; item in festis: S. P. N. Francisci, Portiunculae, S. Bonaventurae, S. Antonii Patavini, SS. Apostolorum Petri et Pauli, ac Sanctorum omnium. In his festivitatibus quilibet secus approbatus Confessarius etiam a suprafatis Casibus reservatis absolvere poterit; de caetero vero sub gravi peccato, et poenis per Ordinis Constitutiones sancitis, talem absolutionem nemo praesumat, nisi debitam a reservatis absolvendi facultatem a Ministro Provinciali praevie legitime obtinuerit.

§. III. *De poena fratribus delinquentibus imponenda.*

1. Cum juxta S. Bonaventuram Religio et Communitas bona a mala non per hoc distinguatur, quod in Religione bona non fiat malum, sed per hoc, quod mala, quae in bona Religione aut Communitate fiunt, non maneant impunita; in mala Religione et Communitate vero malum impunite, indeque liberius, soepius et tam frequenter committatur, donec malae corruptelae et peccaminosi abusus passim invalescentes, tam peccantium, quibus inique parcitur, interitum, quam Religionis ruinam non facile amplius reparabilem causent; ac econtra quorundam Superiorum correctiones et punitiones indiscretae, vel minus debite factae non modicum etiam damnum Religiosis et Religioni afferant.

2. Hinc pro absolute necessaria admonitione, correctione et punitione Fratrum peccantium recte instituenda ante omnia volumus, et quantum possumus, in Domino hortamur Superiores locales, ut in omni admonitione, correctione et punitione Fratrum solum Deum, Religionis et Provinciae bonum ac errantium emendationem sancta intentione prae oculis habentes, a quavis passione, irae praesertim et perturbationis aut gravioris indignationis longissime alieni, debita cum charitate, mansuetudine et discretione procedant: quia divino et S. Francisci oraculo, ipsaque experientia certum est, quod ira et conturbatio, aut gravior indignatio optatum impediat effectum correctionis, et exacerbationem potius, quam emendationem errantis efficiant, Deo peccaminosum corrigendi modum non secundante.

Digitized by Google

3. Unde nec in casu, ubi zelum etiam et sanctum fervorem exhibere, gravioremque poenam imponere oportet, charitatis et discretionis immemor esse debet Superior, cum reus graviorem quoque, imo gravissimam poenam, quam exigentibus Statutis et urgente Superioris officio compassiva cum charitate ac discretione rationabiliter sibi imponi cernit, libentius, majorique cum patientia et fructu suscipiat, quam longe minorem pro eodem delicto inordinata cum passione, ira et conturbatione inter verba et nomina injuriosa ac contumeliosa sibi injunctam.

4. Sciant ergo Superiores et subditi, charitatem et discretionem non violari, sed observari, si exigentibus circumstantiis Superior ad exemplum Christi et Sanctorum in corrigendo zelum subinde exhibeat et fervorem, vel si delinquentes puniantur juxta praescriptum Statutorum, utpote debita cum discretione a Superioribus conditorum, cum praeter divinas et humanas leges ipsa etiam ordinata charitas et discretio in multis rationibus suadeat jubeatque, ne delicta maneant impunita; quamvis et in hoc discretionis et prudentiae leges observare, ac propterea non tantum delicti naturam, sed etiam modum peccandi, et qualitatem personae attendere, sicque pro diversitate circumstantiarum punitionem regulare debeat Superior, illud etiam specialiter observando, ut, quos viderit ex inadvertentia potius et fragilitate, quam malitia leviter delinquere, vel privatim ad se vocet, privatimque et charitative allegatis etiam virtutis et rationis motivis moneat, aut, ubi error publice contigit, publice quidem, sed in communi dantaxat errorem factum commemoret, ejusque emendationem inculcet; sic enim vel emendationem, vel id obtinebit, ut redeunti in simili praescriptam a Statutis poenam, vel ubi nulla imposita est, arbitrariam pro ratione delicti, maiori jure et meliori cum effectu imponere valeat.

5. De gravioribus delictis, etsi abstrahere potius et tacere, quam aliquid commemorari oporteret, cum a Religioso innumeris, iisque optimis et efficacissimis mediis vitandi peccata, eisque resistendi circumdato, ac insuper a peccandi periculis et occasione ut plurimum remoto, in tam sancta communitate et loco grave seu mortale peccatum aliquod fieri quasi paradoxum merito reputari deberet: nihilominus tamen etiam in sanctis communitatibus et locis pravi aliqui et reprobi (utique pauci) nonnunquam reperiuntur, qui amore et timore Dei postposito, nullaque cura sive famae

Digitized by Google

Religionis, sive propriae salutis habita, graviora quoque delicta in domo Dei committere, proh dolor! non pertimescunt; prout in sanctissima illa, etsi modica Christi et Apostolorum communitate patet, in qua unus saltem, Judas videlicet, gravissime peccans extitit nequam, et in ter sancto loco coelesti, in quo etiam Angeli graviter peccando daemones evaserunt, sicut et alias in pluribus ceteroquin sanctissimis Religionibus nonnunquam gravia committi experientia tristis nos docet. Pro graviorum vero delictorum castigatione, in quantum in his Statutis municipalibus non est praevisum, recurrimus ad Statuta generalia, quae de correctione delinquentium et de incorrigibilibus fusuis tractant. (Confr. dicta Statuta edita Romae 1827. Cap. VII. §. III. et IV. n. 507-558.)

6. Nullus tamen Superior localis habeat potestatem aliquem formaliter incarcerandi, excetpo casu apostasiae, rebellionis et pertinacis inobedientiae. Pariter non sit in potestate illius, aliquem propter grave delictum formaliter processandi, bene vero extrajudicialiter indagandi. In casu vero majoris delicti rem ad Superiorem majorem deferat. De carceratis autem ordinatur, ut singulis septimanis ter, feria 2. 4. et 6. (nisi in dies festivos incidant) ad prandinm seu coenam et ad collationem solo jusculo, leguminibus, pane et aqua contenti vivant; reliquis diebus illis concedatur sextarius vini. Diebus reliquis, quibus carne vescimur, jusculo, carne bubula concisa et herba frugaliter ad prandium, solo jusculo vero et pane ad coenam cibentur; diebus autem jejunialibus pro prandio jusculum, farinam et legumina, pro collatione pariter jusculum et panem habeant. Nec sit in potestate Superioris localis in hoc tractandi modo unquam (excepta infirmitate ex ordinatione medici) dispensare cum carceratis, nisi quod diebus festivis unum cibum addere possit.

7. Ob plures rationes sub poena discolorum gravissime prohibetur, nequis carceratum aliquem accedere vel eidem loqui praesumat, sine expressa licentia Superioris, qui eam non nisi carceratorum servitori, et semel in septimana Confessario ipsius, si petatur, concedere possit, illa tamen cum limitatione, ut hic non nisi de iis, quae forum conscientiae, animae solatium et conversionem carcerati concernunt, ille vero de iis tantum, quae suum officium tangunt, loqui possint. Sub eadem poena discolorum omnibus et singulis prohibetur, ne directe vel indirecte cum carcerato literis, verbis vel signis correspondeant, eive literas vel quid aliud fe-

Digitized by Google

rant, vel ab eodem recipiant. Carceratis praeter Breviarium et Directorium etiam tradantur libri ascetici, non tamen charta et calamus ad scribendum, sine expressa licentia Superioris majoris; qua etiam obtenta teneatur Superior localis quantitatem chartae traditae notare, incarceratus autem quovis tempore ad oculum demonstrare, quantum et ad quid de charta applicaverit, et quid adhuc residui habeat. Conceditur tamen carceratis, quod in festis Nativitatis et Resurrectionis Domini, Pentecostes, Immaculatae Conceptionis B. M. V., S. Francisci et Portiunculae sacram Synaxim accipere valeant, nisi circumstantiae aliud rationabiliter suadeant.

8. Cum fere in cunctis etiam sanctissimis Religionibus nonnunquam inveniantur quoque aliqui male habituati discoli, hinc ne ad statum horum aliqui ex nostris facile deveniant, neve ad illum forsan prolapsi in eo permaneant, sed si non Dei et virtutis amore, saltem timore poenae ad saniora redeant, merito solicite statuimus, ut tam Patres, quam Fratres Clerici et Laici discoli non tantum minori, quam reliqui, gaudeant Ordinis et Provinciae favore, sed debitis etiam, medicinalibus tamen afficiantur poenis, ita ut declarati a ven. Definitorio discoli a die promulgatae declarationis sequentibus illico subjaceant poenis: *a*) Patres discoli declarati (quicunque sint) sedeant ultimi post omnes Patres, etiam non Confessarios, nisi hospites saeculares adsint. *b*) In mensa dimidia tantum gaudeant portione vini et per totum annum careant sic dicta dispensa seu infusione, exceptis tantum festis solemnioribus I. Cl. quibus eisdem solita dipensa conceditur. Extra mensam autem nullo unquam tempore, quamdiu in discolatu sunt, eis vinum detur. *c*) Nunquam (exceptis publicis processionibus, in quibus juxta aetatem Religionis incedant) nisi urgenti ex causa, dimittantur e Conventu; in Conventu autem jugiter occupentur: ad quem finem a nullo labore sint excepti, adeo ut quemvis subire teneantur, quem juxta illorum vires, capacitatem, rerumque indigentiam Superior localis injunxerit, specialiter autem sint obligati officium Acolythi in Choro semper peragere in monasteriis, ubi nulli existunt Clerici et Novitii. *d*) Si (quod Deus avertat) aliquis in statu tali moriatur, una tantum Missa legatur in quolibet Conventu pro ipso. Iisdem poenis vel maxime subjaceant Clerici et Laici pro discolis declarati, hac addita, quod Laici nullo tempore permittantur otiosi, sed continuo occupentur labore, praesertim tali, qui

Digitized by Google

eisdem difficilis videtur, magisque ab illis horretur. Illud etiam notent discoli, quod per praefatas discolorum poenas a reliquis Statutorum poenis non sint immunes.

9. Porro non sit in Potestate Superiorum localium dispensare in aliqua harum poenarum, aut eam directe, vel indirecte unquam remittere; bene vero sit in illorum potestate, discolos gravius adhuc juxta Statutorum tenorem et delicti exigentiam punire; praesertim autem, si in subeundis memoratis poenis rebelles, inobedientes sese exhibuerint, vel ratione illarum contra Superiores majores et ven. Definitorium mumuratores graves existant. Prohibetur etiam sub poena gravi ceteris tam Patribus, quam Fratribus non discolis, ne quidpiam de potu discolis directe vel indirecte porrigant, procurent, aut, ut alicubi ipsimet accipere valeant, collocent aut manifestent; sed potius sedulo attendant, an et quomodo discoli se emendent, an vero in malo perseverent, ut cum tempore desuper conscientiose testari valeant.

10. Si quem ven. Definitorium, cui soli competit in hujuscemodi potestas, pro discolo declarat, fiat hujus promulgatio in tota Provincia. Licet Minister Provincialis sine consensu Definitorii aliquem pro discolo declarare haud valeat, potest tamen poenis discolorum eos, qui merentur subjicere: quod ipsum a fortiori etiam Definitorium facere, et aliquem poenis discolorum afficere poterit, quin illum pro vero discolo declaret, aut per Provinciam promulget. Econtra si quis discolus declaratus serio et constanter se emendet, per ven. Definitorium a poenis et maculis discolorum absolvatur, absolutusque per totam Provinciam promulgetur, uti prius tanquam discolus declaratus fuit. Casu quo, quis discolorum neque per praefatas poenas emendaretur, sed adhuc in malo perseveret, liberum erit ven. Definitorio talem vel majori rigore, vel alio poenarum genere tractare, aut tanquam incorrigibilem ex ordine totaliter expellere, juxta formam Ss. Canonum, Constitutionum Pontificalium et Statutorum generalium. Ut proin statutae discolorum poenae, quantumvis graves appareant, nequaquam nimium Superiorum rigorem, sed meram eorum charitatem et sanctam solicitudinem indicent, utpote non vindicativae, sed medicinales, et ita constitutae, ut illas quivis facillime non tantum declinare, sed etiam, postquam in eas incidit, easdem semper iterum evadere valeat, dummodo se serio emendet, quod solum intenditur: propterea sub poena gravissima prohibetur,

Digitized by Google

ne quis audeat alicui habitam aliquando discolorum maculam exprobrare, si emendatione facta, per ven. Definitorium fuerit absolutus.

11. Pro discolis autem a ven. Definitorio declarari poterunt sequentes: *a*) Obstinati, pertinaces, inobedientes et graviter irreverentiales erga Superiores. *b*) Qui gravius et frequenter murmurant contra Superiores, praesertim majores. *c*) Notorie et excessive bibuli habituati. *d*) Vere otiosi et ignavi, vel laborem et obedientiae munia recusantes, aut frivolis sub praetextibus eadem declinantes, praesertim Laici. *e*) Malarum factionum capita, et discordiarum disseminatores, pacisque perturbatores. *f*) In factis aut verbis scandalosi et graviter irreligiosi, praesertim apud saeculares. *g*) De suspecto consortio aut commercio cum mulieribus, vel alias in materia lubrica rei, aut cum fundamento male notati, et admoniti non emendati. *h*) Illi, qui aliquid extra Ordinem in grave praejudicium ejusdem, vel Fratris alicujus in particulari revelant. *i*) Qui Statutorum temerarii transgressores et quasi contemptores passim existunt. *k*) Tandem illi, qui ex alia gravi causa vel delicto judicio ven. Definitorii discolis adnumerabuntur.

CAPUT OCTAVUM.

De Superioribus hujus Fraternitatis.

§. I. *De Visitatore seu Commissario generali.*

1. Commissarius generalis regulariter missus, quando Ministri Provincialis electio celebranda est, et quantum possibile ex Provincia viciniori assumtus, sit contentus cum duobus sociis, iisque modestis et intra duos menses Visitationem compleat; quibus finitis nullum jurisdictionis actum exercebit, nempe qua Visitator; nam dum plerumque habet licentiam etiam Capitulo praesidendi, illud utique post duos menses celebrare potest, dummodo non intercedat longum intervallum inter illos duos menses et Capitulum ipsum.

2. Ante initium suae Commissionis Provinciali praesenti per se ipsum, absenti per litteras suam Commissionem significet. Ingressus in Provinciam, accipiat sigillum

Digitized by Google

minus Provinciae, et per litteras encyclicas suum adventum omnibus Provinciae Conventibus denuntiet, Provinciali ad beneplacitum suum relinquat, utrum in loco solitae commorationis manere, vel alium sibi Conventum eligere velit. De cetero Commissarius Visitator generalis recipiatur in quolibet Conventu solemniter, prout Caeremoniale Romanum ad usum Frat. Ord. Min. S. P. N. Francisci accomodatum praescribit. Cfr. Appendix n. III.

3. Tempore Commissariatus sui nihil immutare potest circa Statuta municipalia aut laudabiles consuetudines, nec in sententiis ac poenitentiis per ven. Definitorium latis dispensare; nec potest recipere Novitios, nec instituere Praedicatores aut Confessarios. Item non potest notabiliter animadvertere in Ministrum Provincialem aut Provinciae Patres, nisi ex probata causa et de consilio et consensu majoris partis Patrum Provinciae. Tenetur tamen tollere abusus contra Regulam et Decreta apostolica, aut Statuta generalia usu recepta, uti pariter contra haec municipalia introductos. Item potest alia salubria ordinare pro bono Provinciae, quae nequit Provincialis cum Definitorio rejicere, immutare vel rescindere.

4. Ad visitationem spectant omnia, quae sunt jurisdictionis contentiosae, uti processus pro emergentia causae novos formare, vel inchoatos quidem, sed nondum per sententiam definitivam completos terminare. Visitator Commissarius casus graves occurrentes ne utiquam per sententiam definitivam determinet, nisi cum consilio et consensu Definitorii.

5. Succedente quocunque ex casu vacantia Guardianatus alicujus Conventus post coeptam a Visitatore Officii possessionem deputatio Praesidentis ad ipsum Visitatorem pertinet. Si sub visitatione moreretur Provincialis, tunc electio Vicarii Provincialis pertinet ad digniorem Patrem Provinciae. Si ipse Visitator moreretur, tunc Secretarius ipsius coram Superiore et Discretis Conventus visitationis scripturas muniat sigillo Visitatoris, easdem conservet usque ad ulteriorem Rdmi Generalis Ministri dispositionem.

6. Si denique tempore durantis Visitationis Commissarii generalis alia gravia evenirent negotia, ob quae deberet convocari Definitorium, id debet de licentia ipsius Visitatoris. Quae vero sunt jurisdictionis voluntariae, pertinent ad Provincialem, v. g. absolvere a reservatis, dispensare in

Digitized by Google

votis, instituere novos Vicarios, aut alias, item ad breve tempus alicui ex confratribus dare licentiam pergendi alibi ad expediendum certum negotium, dummodo exinde Visitator non impediatur in exercitio suae visitationis. Omnes Fratres sub poena gravi visitationi se sistere tenentur. (Vide Janković.)

§. II. *De capitulo Provinciali.*

1. Minister Provincialis, vel Commissarius Visitator, si adest, mature scribat Romam pro facultate celebrandi Capitulum Provinciale, ac in eo praesidendi. Impetrata licentia aliquot septimanis ante diem capitularem mittat per Provinciam litteras circulares annuntiantes Capitulum.

2. Ad singula Capitula Provincialia et Congregationes intermedias Superiores locales tenentur transmittere: *a*) Conventus, cui praesunt, Constitutionem, quae exhibeat sinceram, accuratam et specificam consignationem eleemosynae pecuniariae, ubicunque existentis, debitorum activorum et passivorum, Conventus provisionem, meliorationem etc. subscriptam per Conventus Discretos. *b*) Facta diligenti et conscientiosa revisione Sacrorum, veridicum a Patribus Discretis itidem subscriptum testimonium de intra legitimum tempus persolutis sacris, tum manualibus, tum fundatis, sicut et de persolutis Suffragiis pro defunctis, unacum accurata insinuatione numeri restantium Missarum. *c*) Attestatum authenticum de sacris exercitiis octiduanis a quolibet Religioso singulis annis debite persolutis. Denique *d*) Elenchum librorum unoquoque anno pro Bibliothecis conventualibus procuratorum exponendo integros eorumdem librorum titulos et pretia praecisa.

3. Juxta generales Ordinis Constitutiones Minister Provincialis teneatur ad quemlibet Congressum capitularem, aut Congregationem convocare omnes Definitores actuales; Patres Provinciae vero olim Provinciales ad votum consultivum invitare et cum his omnibus ante electionem et deputationem Officialium de eorumdem qualitatibus, praesertim Guardianorum, scrutinium tenere, alia concludere et definire; hinc duobus aut tribusdiebus ante Capitulum congregetur antiquum ven. Definitorium, cui Praeses proponat ea, quae tempore visitationis proponenda et emendanda seu corrigenda putat.

4. Pariter ventilentur ratiocinia Conventuum, ac ju-

Digitized by Google

rata testimonia circa celebrationem Missarum etc. Quod, ut brevius, faciliusque fieri possit, proponatur et confirmetur ex gremio Definitorii unus qua Revisor Computorum singulorum Conventuum, qui sit etiam Referendarius quoad alia negotia ad Capitulum Provinciale spectantia. In ultima praeliminari sessione per ven. Definitorium designentur ex gremio Vocalium pro scrutinio duo Disquisitores, ne in electione canonica confusiones oriantur. Die quoque electionem seu Capitulum praecedente, praesentibus jam Patribus Vocalibus, praemittet Praeses Capituli scrutinium praevium, vel consultationes praevias circa futurum Provincialem, Custodem, etnovum Definitorium, citando ad suam cellam Vocales singillatim.

5. Non debet ob absentiam aliquorum Vocalium Capitulum differri. Si quis Definitor aut absens fuerit, aut non poterit accedere, subrogetur Pater dignior Provinciae. Si ex morte, aut renuntiatione, vel alio impedimento officium Custodis vacaverit, eligatur alius per Patres Definitorii, et nonnisi per suffragia secreta. Ex absentia autem Custodis nulla fiat in Definitorio subrogatio, vel substitutio. juxta Statuta generalia.

6. Altera die, utpote canonica, hora congrua celebretur Missa solemnis de Spiritu S.; Officiatorem aget normaliter ultimus Definitor, cui ministrabunt duo ultimi Guardiani, nisi Praeses Capituli alios destinaverit. Hora octava vel alia competenti datur signum campana capitulari seu Refectorii, et omnes Vocales ingrediuntur Consultorium, et clauduntur fenestrae ac janua. Leguntur per Secretarium vel Praesidem ipsum nomina Vocalium incipiendo a digniore, qui respondent: *Adsum*. Postea Preaeses praelegi curat litteras Rdmi Ministri generalis seu patentales, vi quarum obtinuit licentiam celebrandi Capitulum, si ista promulgatio in vigilia facta non fuit. Omnes se prius praeparent ad Confessionem sacramentalem, qua deposita sequitur absolutio generalis, deinde invocatio Spirtus S. per Hymnum *Veni Creator Spiritus* cum ℣. et Oratione. Omnes surgunt, et Minister Provincialis prior Procedens in medium genuflexus fatetur culpam, ac simul resignat Officium, extradendo Praesidi sigillum majus in orbe ad hoc specialiter destinato (Sigillum minus jam prius tradebat Visitatori generali), atque a Praeside laudatur vel corripitur; si bene rexit, dicere potest: *Pro laborioso, fructuoso et gliorioso regimine Paternitati Tuae tota Provincia una mecum maximas agit gratios, Deus autem sit*

Digitized by Google

merces Tua, Tibique benedicat Deus P. et F. et Sp. S. Custos et Definitores pariter renuntiant officiis suis. Dein Praeses tenet brevem sermonem ad Capitulares, quo finito ab omnibus incipiendo a dignioribus, genuflexis deponitur juramentum de dignioribus eligendis, sequenti Formula: *Ego N. N. in vulneribus Christi juro, quod consideratis considerandis velim digniores in Ministrum Provincialem, Custodem et Definitores eligere.* Denominantur duo Disquisitores, quos genuflexos Praeses obstringit ad silentium inviolabiliter servandum, dicens: *Injungo Vobis mandatum Sanctae Obedientiae de servando electionis secreto et mando Vobis sub poena Excommunicationis ipso facto incurrendae, ut nullo modo eligentium nomina ullo unquam tempore manifestetis neque verbo, neque scripto, neque nutu, neque alio quovis modo; pro quo benedicat Vos omnipotens Deus P. et F. et Sp. S. Amen.*

7. Fiat sessio, Praeses Capituli in medio tabulae, Disquisitores autem unus a dextris, alter a sinistris Praesidis, ita ut a Capitularibus omnibus facile videri possint. In eadem mensa instrumenta erunt ad scribendum necessaria, cum vase aperto ad schedulas recipiendas. Caeteri Vocales secundum Officii ac Emerentiae titulos, in paritate autem juxta antiquitatem Conventuum. Statim monet Praeses, electionem primum Ministri Provincialis a quolibet Vocali in schedulam praeparatam scribendam esse, ita: *Eligo in Ministrum Provincialem P. N. N.*, cui inferius subscribat elector, et chartam duplicate sursum complicat, adposita hostia inferiorem subscriptionis partem involvens et in Vas a Vocali ultimo ordine porrectum immittit, ad Praesidem abhinc deferendum, qui extrahit schedulas et publice numerat, an numerus congruat, ac statim intra vas reponit. Electorem scribere nequeuntem, adjuvet disquisitor, ad aegrum vero mittantur ambo disquisitores, ut in sua cella votum scribat. Praeses schedulas singulas ex vase extractas aperit et pro majori securitate nomen Electi in suo folio scribat, deinde eas consignat disquisitoribus, ut videant, et diligenter uterque in suo folio nomen Electi adnotet. Post hoc suffragia ad invicem conferendo, computum faciendo, quem medietatem votorum superare viderint, illum reputent canonice electum. Si nullus majoritatem votorum habet, publicandum, quot quisque suffragia perceperit (quod in simili casu semper observandum) deinde iterantur eodem modo scrutinia, quousque electio succedat. De his omnibus exaratur Instrumentum cum

Digitized by Google

subscriptione disquisitorum et Praesidis electionis ac sigillo Provinciae munitum. Si adsunt vota absolute majora pro Ministro, Praeses surgens ait: *Habemus Provincialem, placetne, ut promulgetur?* aliis Vocalibus, dicentibus: *Placet*, et secundum usitatam formulam, clara et intelligibili voce electionem promulgabit.

8. Deinde fit electio et promulgatio R. P. Custodis, ut prius, et hac facta eliguntur quatuor Definitores in una simul schedula et reliqua, ut prius. Bene nota, quod noviter electus Custos, qui non est de gremio Vocalium, non habet suffragium ad Definitores eligendos. Votatione pro Definitoribus facta, et in ordinem redacta ac scripta tota electione, ne suffragia unquam patefieri possint, schedulae omnes coram Capitularibus comburantur: quod etiam fieri oportet, quoties in scrutinio error intercesserit. Si quis in electionibus sibimet ipsi suffragatus fuerit, utriusque vocis jure perpetuo careat.

9. Respectivis Documentis exaratis, signo capitularis campanulae convocatur ven. Conventus, ut promulgatio Electionis ab omnibus audiatur et Disquisitor more solito voce clara, alta atque intelligibili praefatam Electionem publicat. Qua finita, Cantores Hymnum: *Te Deum laudamus* immediate canora voce inchoantes, caeteri omnes alternis vocibus pie canentes ad Ecclesiam processionaliter proficiscentur. Neoelectus Provincialis a sinistris Praesidis incedet. Secretarius Provinciae ante Praesidem in processione Provinciae sigilla portabit, qui altari appropinquando illa ponit supra. Praeses ante aram majorem in infimo gradu manendo, accipit superpelliceum, stolam et Pluviale albi coloris et solitos versiculos cum orationibus decantat. Quibus finitis mox ascendit et a dextro altaris cornu sedens alloquitur neo-electum Ministrum in infimo altaris gradu ante illum geruflexum, illumque confirmat. Porrigit illi sigilla dicens: *Rectorem te posuerunt, Provincialem te elegerunt, et ego te confirmo; cum Provincia matrimonium spirituale contraxisti, et hoc ratifico in nomine P. et F. et Sp. S. Amen. Accipe sigilla et rege Fratres tuos in omni patientia et doctrina et Dominus sit tecum.*

10. Provincialis, sigilla in manibus tenens, se retrahit ad partem dextram altaris. Interim Custos pariter neoelectus accedit, in infimo altaris gradu genuflectit, quem Praeses breviter alloquitur et confirmat dicens: *Custodem te*

Digitized by Google

elegerunt vineae seraphicae hujus almae Provinciae et ego te confirmo in nomine P. et F. et Sp. S. Amen. Custodi vineam tibi concreditam et Dominus sit tecum. Tandem electi Definitores simul genuflectunt coram praeside, quos confirmans dicit: *Definitores et Conjudices hujus almae Provinciae electi estis, et ego vos confirmo in nomine P. et F. et Sp. S. Amen. Munus, ad quod assumpti estis, facite cum zelo disciplinae et Dominus sit vobiscum.* His peractis sella ad sinistrum altaris cornu ponitur, in qua Provincialis neo-electus sedet, et Fratres omnes suo ordine accedunt, ac flexis genibus debitam reverentiam exhibent, atque obedientiam, ut suo Praelato, promittunt; Minister vero Capitularibus dat pacis osculum, reliqui autem osculantur manum ejus. Deinde statim accipit superpelliceum et stolam albi coloris, ascendit, Tabernaculum aperit, Ciborium exponit, descendit, incensat, sumit velum, ascendit et Ciborium in manibus tenens intonat: *Tantum ergo, Genitori* etc. dat benedictionem; deponit velum, reponit Ciborium et progrediuntur ad Sacristiam singuli. Ista omnia ex praescripto Constitutionum nostrarum et veteri Religionis consuetudine sunt servanda, si Provincialis neo-electus est praesens, si autem non, tunc in Refectorio canitur *Te Deum laudamus* etc. et preces persolvuntur, confirmanturque Custos et Definitores, processionem ad Ecclesiam prorsus omittendo. In quo casu, Praeses sigilla Provinciae et gubernium tenet, quousquè Provincialis neoelectus non comparuerit. Interim Commissarius Provincialis instituendus foret ad reliqua negotia capitularia peragenda.

11. Ipso electionis die post prandium fiat praevia consultatio de electione novorum Officialium, postquam Guardiani singillatim evocati officium suum coram pleno Definitorio in manus Praesidis resignaverunt, nisi jam prius in scriptis hoc fecerint. Ex-Guardianis dimissis, Praeses moneat Provincialem de Secretario eligendo, qui quamvis de consensu reliquorum Patrum Provinciae, pro suo arbitrio illum seligere possit; tamen cum sit Secretarius Provinciae totius, et per illius manus expeditiones transire debeant, juxta Constit. S. Pii V. debitum Juramentum flexis genibus ante Provincialem, coram Definitorio, ponendo manum ad pectus, deponere debebit (si adest) sequentibus verbis: *Ego Fr. N. N. promitto Deo omnipotenti et tibi Pater, quod meum fideliter exercebo officium, in omnibus et per omnia; acta sine tuo permissu nunquam reseraturus; sigillo Provinciae haud abu-*

Digitized by Google

surus, documenta demum inviolate conservaturus: sic me Deus adjuvet. Cui Provincialis calamum porrigens sedendo respondet: *Accipe potestatem notificandi et intimandi pro ista reformata Provincia S. Crucis quibuscunque personis, etiam Regibus, Indulta ac Privilegia apostolica, juxta favores Ordini nostro concessos; mandata item expediendi, ac faciendi actus publicos, scripturas intimos, instrumenta, protocolla, aliaque ad Provinciam spectantia, quae tui sunt muneris, in nomine P. e F. et Sp. S. Amen.*

12. Die autem subsequenti, deposito prius a Provinciali, Custode et Definitoribus (vel eorum Substitutis) juramento de eligendis dignioribus, fit electio novorum Guardianorum, proponente (ast prius cum antiquo ac novo Provinciali colloquente) Praeside Capituli, qui pariter interest institutioni aliorum officialium: ast quoad dispositionem Patrum et Fratrum de communitate, item quoad alia in Capitulo peragenda potest pro lubitu suo adesse vel abesse. Electio autem P. P. Guardianorum fiat sequenti modo: Praeses pro quolibet Conventu successive unum proponat, super quo summantur ab electoribus calculi nigri, vel albi ad id parati, et secreto absque alia discussione ponantur in urna. Tum patefactis calculis, si major pars sit affirmativa, electus intelligatur; si vero negativa, proponatur alius, ut supra, donec electio fiat. Si autem vota fuerint aequalia, poterit Praeses voto decisivo uti; sed usus voti decisivi Praesidi non liceat, nisi vota per tres vices aequalia fuerint. Item notandam: Provinciam nostram uti posse Indulto illo Clementis VIII. „dilecte fili." pro Germania superiore emanato, quo Guardianos ultra triennium confirmare licet, si Definitorio dispensare necesse videatur.

13. Antequam finiantur sessiones seu in ultima proponit Visitator seu Praeses Capituli Patentales Reverendissimi concessorias celebrationis Capituli, ut sese tam antiquum, quam novum ven. Definitorium subscribat, incipiendo hac formula: *Quod omnia in Patentalibus contenta rite sint observata testamur nos infrascripti.* Novus Provincialis extradit Visitatori (si adfuerit) subscriptum a toto ven. Definitorio testimonium, quo adducuntur ejus merita tam circa Visitationem, quam Electionem, idque dupliciter describitur, unum exemplare consignatur Commissario, alterum vero una cum tabula generali novorum officialium mittitur Romam. Item unum pariter ab utroque Definitorio subscriptum testi-

Digitized by Google

monium datur Secretario, de bene ac fideliter peracto suo officio, quod tamen non mittitur Romam; si vero non est undequaque laudandus, istud testimonium non exaratur. Ultimo tandem Visitator valedicens ante discessum consignet neo-electo Ministro sigillum Commissariatus. Notandum, quod Commissarius Visitator post acta conclusa vi Statutorum posset adhuc cum titulo et debito honore remanere 15 diebus.

§. III. *De Ministro Provinciali, Custode ac Definitoribus.*

1. Minister Provincialis in suos subditos, ac etiam in extraneos tempore, quo in Provincia degunt, eadem potestate ac jurisdictione ordinaria, qua Episcopus in suos Dioecesanos, gaudens, ex munere suo obligatus sit, debite vigilare et laborare, ut Provincia in debita observantia, et disciplina regulari conservetur, ut Statuta et laudabiles Provinciae consuetudines exacte serventur, abusus vel corruptelae quaecunque evitentur, et si quae forsan irrepserint vel irrepere incipiant, quantocyus tollantur. Specialissime autem curet, ut recta, a qua salus Provinciae maxime dependet, instructio et educatio juventutis religiosae in spiritu et virtute juxta praescriptam a Statutis methodum semper et ubique exacte fiat.

2. Cum Patres Provinciae, id est, laudabiliter functi Ministeriatu Provinciali (utpote majorem prae caeteris cognitionem Provinciae habentes) sint primarii Provinciae Consiliarii, sine quorum consilio graves personae judicari et puniri, aliaque ardua et graviora Provinciae negotia pertractari nequeunt, ordinatur, ut Statutis generalibus et Provinciae consuetudini conformiter tam ad Capitulum Provinciale, quam ad ordinarias et extraordinarias Congregationes invitari ac Consultationibus Definitorialibus etiam de instituendis Guardianis et Officialibus praevie fieri solitis interesse possint ac debeant, votis tamen definitivis et decisivis penes Patres Provinciae, Custodem et Definitores duntaxat remanentibus. Volumus insuper, ut eisdem tanquam de Provincia specialiter meritis debitus ubique honor cum competenti justitiae distributivae favore exhibeatur.

3. Patres Custos et Definitores unacum Patribus Provinciae teneantur dando salutaria consilia et vota, praecipue pro conservanda et restauranda observantia et disciplina re-

Digitized by Google

gulari, Provinciali fedeliter assistere, in Guardianorum electione, officialium institutione, Candidatorum susceptione et quovis alio gravi vel arduo negotio, seclusis privatis affectibus, solum Dei honorem, Ordinis et Provinciae bonum prae oculis habentes, vota sua secundum propriam conscientiam et jura nostra dare, majori tamen parti subscribere et secretum stricte servare semper maneant obligati, praesertim vero illa, quae manifestata dissensionem, aversionem vel odia in Definitorium, aut aliquem ex Definitorio causare possent: contravenientes subjaceant poenis per Statuta generalia taxatis.

4. Minister Provincialis non potest sine consensu majoris partis Definitorii super sententiis a Definitorio latis dispensare, aut alicujus Guardiani resignationem solus acceptare, minus eundem Officio privare; bene vero accedente et urgenti causa, potest eundem ab officio suspendere.

§. IV. *De Guardianis et Superioribus.*

1. Cum vita communis quemlibet Religiosum summopere commendet, et observantia regularis a Superiorum exemplo maxime dependeat, praecipimus omnibus Superioribus juxta Constitutiones tum Ordinis, tum apostolicas, ut in Choro, Refectorio, victu, vestitu et caeteris omnibus communitatem omnino servent, et vitam communem agant; imo qui in praedictis notabiliter negligentes, vel physice impotentes fuerint, declarantur inhabiles ad omnia Provinciae officia, ita, ut nullus eligi valeat in Superiorem, qui communem vitam agere non possit, longiori scilicet tempore. Non enim intelligendi hic veniunt illi, qui malis physicis per intervalla molestantur, praecipue si aliis bonis qualitatibus commendantur.

2. Guardianorum et Superiorum principalis cura sit, verbo et exemplo praestare, attendere, curare et vigilare, ut Regula, Statuta et disciplina regularis in sua domo debite serventer, et inter Fratres vera concordia et charitas jugiter vigeat, Fratresque, praesertim infirmi, necessariis sint provisi. Legant etiam aliquoties et relegant Statuta, videantque, an non aliqua et quomodo a nonnullis violentur, vel abusus irrepat; ac, prout cognoverint, convenientia media monendo, corrigendo, puniendo juxta praescriptum Statutorum prudenter adhibere non omittant.

Digitized by Google

3. Superiores locales, sub poena suspensionis ab officio nullum aedificium inchoare, vel destruere sine scitu Provincialis attentent, ut similia matura semper deliberatione suscipiantur. Sub eadem memorata poena prohibetur eisdem Superioribus localibus, ne arbores vivas, aut proficuas, aut fructiferas, aut secus ad ornatum vel umbram deservientes in hortis vel silvis Conventui adjacentibus succidere praesumant.

4. Serio monentur Guardiani, ne debitis passivis onerent Conventus. Prudentem igitur, circumspectam et discretam in omnibus servent oeconomiam; et qui notabiles dissipatores eleemoynae communis comprobati fuerint, ad Guardianatus officium perpetuo inhabiles declarantur.

5. Guardiani teneantur sub poena suspensionis ab officio in suis Conventibus certum et securum locum deputare, et ibidem instrumenta rerum notabilium conservare, quorum inventaria in Provinciae Archivum a Ministro Provinciali reponenda erunt.

6. Nullus Guardianus mutet sigillum Conventus quoad formam, inscriptionem et quantitatem sine licentia Ministri Provincialis; nec juxta veterem Provinciae hujus consuetudinem ullus praesumat in praesentia Provincialis in Refectorio post mensam dare signum ad surgendum et auferendum utensilia, non obtenta hujus nutu.

7. Mandamus Superioribus localibus, ut durante sui officii tempore diligenter et exacte adnotent omnia, quae notatu digna et Conventui proficua vel nociva contingunt, aut occurrunt, prout sunt etiam ritus et solemnitates, quomodo in quolibet loco celebrentur. Festa Ordinis et Dioeceseos, item modus procurandi pisces, carnes, ligna etc. quorum omnium notam exactam teneantur ante discessum ex illo Conventu successori suo consignare. Successores vero serio monemus, ut idem praestent, et praecipue modum et ritum celebrandi Festa tam Dioecesana, quam Ordinis introductum manuteneant, legitimas locorum consuetudines stricte conservent, nec omnia ad libitum mutent.

8. Guardianus et Vicarius simul a Conventu nunquam absint, et unus aut alter Choro et Communitati, quantum fieri potest, semper assistat, si vero exeundi neccesitas pro utroque foret inevitabilis, cura Conventus committatur digniori Patri in Familia. Si autem Guardianus a Conventu per triduum absens fuerit, Vicarius eo ipso sit institutus Praesidens, et gubernet ut Superior localis; non tamen possit quidquam

Digitized by Google

facere contra expressam Guardiani, etiam absentis, voluntatem, nisi tempus et necessitas aliud requirat de consilio Conventus Discretorum.

9. Vicarii instituantur moribus et vita probati, divinisque laudibus sancte in Ecclesia persolvendis vel maxime idonei et seduli, qui Regulae ac Statutorum observantiam solicite promovere studeant.

10. Pro singulis Conventibus aliqui ex antiquioribus et aptioribus designentur a Definitorio, et in Capitulari Tabella notentur Discreti, quos in gravioribus negotiis Guardiani semper adhibeant, eorumque communi consilio et consensu determinatio fiat. Patres Provinciae, deinde Custodes et Definitores tum actuales, tum habituales sunt Discreti Conventus perpetui.

CAPUT NONUM.

De Praedicatoribus.

§. I. *De requisitis Praedicatorum.*

1. Praedicatores quoscunque enixe hortamur, et in Domino monemus, ut pro instituto, quod profitentur, et apostolico munere, quod exercent, ita pie sancteque vivant, ut quos erudiunt verbo, pascant exemplo, ne cum aliis praedicaverint, ipsi reprobi fiant, et quorum vita despicitur, eorum praedicatio contemnatur; ideoque conversationes profanas devitent, moribus sint graves, et sobrietatem omnino sectentur. Qui autem pravitatis exempla dederit, aut scandalo populo fuerit, praedicationis officio privatus, gravius etiam puniatur Superioris arbitratu.

2. Caveant omnino Concionatores, ne facetiis, aut rerum inutilium narratione concionem contemptibilem faciant, eisdemque auditores parum ant nihil aedificent. Quae vero in ambone dicturi sunt, diligenti studio, praemeditatione et peculiari ad Deum recursu sibi parare adlaborent.

3. Si quis ausus fuerit contra personam quamdam particularem, vel Religiosorum Ordinem, vel Praelatum Ecclesiae vel Clerum praedicare, ex quo scandalum vel tumultus oriri posset, a Ministro Provinciali severius castigetur. *Eloquia igitur eorum sint examinata et casta, ad utilitatem et aedificationem populi, annuntiando eis vitia et virtutes, poenam et gloriam, cum brevitate sermonis.*

Digitized by Google

4. Concionatores actuales tenentur quotidie accedere Vesperas, nec non (excepto die praevio et sequente concionem) ad Matutinum et meditationem sequentem illis septimanis, in quibus unicam tantum habent concionem. Quoniam vero in aliquibus locis et certis temporibus plures conciones et extraordinarii labores Consionatoribus incumbunt, Provincialis arbitrio relinquitur et committitur, ut in hujusmodi Conventibus pro exigentia circustantiarum disponat, quid Concionatores circa Matutinum observare debeant. Concionatores, qui annis duodecim in verbi Dei promulgatione praeclare se gesserunt, titulo et privilegiis *Emeriti* gaudeant.

§. II. *De eleemosyna Concionum intuitu oblata.*

Mandamus sub poena proprietarii omnibus Concionatoribus, quos suo tempore vel per quadragesimam, vel quacunque alia occasione contiget praedicare in Ecclesiis alienis, ne in tali loco pro se, vel socio quaestum pecuniarium faciant, aut de eleemosynis pecuniariis sibi oblatis, vel assignatis ullo modo ex proprio arbitrio disponant, neque secus pro praedicationis officio aliquos particulares favores, aut remunerationes praetendant, sed omnia relinquant dispositioni et judicio Superiorum, qui pro sua discretione et charitate certe non patientur necessariis destitui illos, vel quam maxime, qui in Vinea Domini strenue adlaborant.

CAPUT DECIMUM.

De admonitione et correctione Fratrum.

§. I. *De Canonica Visitatione rerum, locorum ac personarum.*

1. Cum Visitatio canonica pro regulari disciplina conservanda subsidium sit efficacissimum, et quasi nervus et compago totius corporis regularis, obligantur Ministri, ut dictam Visitationem per omnes et singulos Provinciae Conventus diligenter instituant, nec non perficiant. Minister Provincialis Superioribus localibus suum accessum praevie notificet, cui Conventum, comite Secretario vel vicini Conventus Superiore ingredienti religiosa familia ad sonum campanae capitularis

Digitized by Google

in corpore suam obedientiam et reverentiam praestat, in ejus cella.

2. Vesperi brevibus idem denuntiat pro sequenti die mane hora convenienti visitationis initium. Hora competente celebrat et omnia fiunt, quae hucusque laudabiliter in usu erant, omnes vero Religiosi (foras expositi pro eo tempore ad Conventum a loci Superiore evocandi) praemittendis precibus et benedictioni interfuturi. Missa finita, inter quam Fratres Clerici et Laici ss. reficiantur Synaxi, visitat Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, deinde Sanctorum Reliquias, oleum sanctum, altaria, capellas, confessionalia, sepulturas, ecclesiam, sacristiam, sacram supellectilem et reliqua ad cultum divinum spectantia, queis terminatis, repertisque naevis a Secretario adnotatis diligenter perlustret Archivum Conventus.

3. In quolibet Archivo sequentia existant scripta: *a*) Tabulae capitulares continentes institutiones Superiorum et officialium, unacum novis ordinationibus ac Decretis Definitorii. *b*) Litterae circulares Superiorum majorum i. e. Generalium Provincialium ac Commissariorum Visatatorum. *c*) Liber continens statum Conventus personalem Patrum, Fratrum et Servitialium, cum adnotatione diei, mensis et anni eorum adventus vel discessus. *d*) Catalogus defunctorum confratrum. *e*) Catalogus Anniversariorum et officiorum divinorum per legata fundatorum. *f*) Duplex liber Missarum manualium. *g*) Liber debite instituendae collecturae pro Conventu in — et extra oppidum. *h*) Catalogus librorum ad Bibliothecam Conventus pertinentium. *i*) Liber continens susceptos ad III. Ordinem. *k*) Liber continens *Nomen*, *Cognemen*, locum natalem et tempus, quo Novitii habitum susceperunt et postea Professionem emiserunt. *l*) Distincta rerum, praesertim ad infirmariam, sacristiam, bibliothecam, sartoriam ect. *Inventaria*, a singulis officialibus, vel specialiter deputatis facta, et quovis anno per Superiorem revisa. Omnia ista Visitator perlustret et defectuosa suppleri faciat; praesertim vero exacte perquirat *libros missarum manualium et eleemosynarum pecuniariarum acceptarum expensarumque.*

4. Opportuno tempore Fratres professi omnes et singuli Visitatoris jussu coram eo singillatim evocentur, a juniore incipiendo, ad effectum eos examinandi super generali professae Regulae, ac speciali Statutorum nostrorum observantia. *a*) De externa Fratrum conversatione in genere, ac

Digitized by Google

speciali eorum foris et in Conventu vita. *b*) De silentio, jejunio, tonsura, recreationibus, lusu in specie, de evagationibus, horaque domi comparitionis. *c*) De singularitate in vestitu, de indistincta vestium prohibitarum in Conventu, absque necessitate et Provincialis indultu, gestione, de retentione armorum et frequentium horologiorum saccalium et stabalium, baculi, pixidis pretiosae etc., de publico, eoque in Religioso paupere scandaloso herbae nicotianae fumi usu. *d*) De publica aut privata sine interventione Syndici vel ejus Substituti pecuniae manipulatione. *e*) De divinorum frequentatione, assistentia Chori, oratione, meditatione ac frequentia confessionis sacramentalis. *f*) De lectione ad mensam, de lectione S. Regulae et Statutorum ac Constitutionum apostolicarum, de modestia, et debita subordinatione. *g*) De zelo Patrum officiantium, Clericorum studentium et Fratrum laborantium. *h*) De vita communi, mensa et victu, de necessaria in omnibus provisione. *i*) De clausura canonica, administratione domestica et rerum abalienatione. *k*) De harmonia cum viris ecclesiasticis, jurisdictionibus politicis, quin imo privatis. *l*) De publica et privata de Fratribus, tum in genere, tum in specie, opinione. *m*) De vitiis et passionibus in quibusdam Fratribus praedominantibus etc. Tempore vero pomeridiano (excepto casu necessitatis) nec personalis visita, nec forma judiciorum unquam habeantur.

5. Quibus omnibus visis, auditis et peractis, Visitator, quae animadversione, correctione, reprehensione, punitione, emendatione, reformatione et ordinatione digna cognoverit, animadvertat, corrigat, reprehendat, puniat, emendet, reformet et ordinet prout aequitatis et justitiae ratio suaserit, ac animarum saluti, populorum aedificationi, morum reformationi et praecipue divinae gloriae opportunum judicaverit in Domino.

6. Si quis se a Visitatore indebite gravari praetenderit, ei ad Superiores recurrere et ordine juris servato appellare liceat. Nemo autem appellare queat de correctionibus in foro paterno, absque sententia judiciali inflictis. Quod si quis ausu temerario Visitatori contradicere, non obedire, aut se rebellem exhibere tentaverit, aut ejus mandata, ordinationes et decreta exequi neglexerit, qua discolus declaretur et poenas contra rebellantes statutas incurrat.

7. Ad finem Visitationis congregatis capitulariter Fratribus publice ea omnia, quae publicam correctionem admit-

Digitized by Google

tunt, corrigat; habeat etiam sermonem exhortatorium ad Fratres, et data generali Absolutione singulis benedicat, imponatque salutarem poenitentiam.

§. II. *De correctionibus.*

1. Cum Fratres, qui sunt Ministri et servi omnium Fratrum, nimirum Superiores tam locales, quam Provinciales, juxta Regulae praescriptum Fratres suos visitare, monere humiliter, et charitative corrigere debeant, statuimus, ut si quis Fratrum alicujus criminis (modo non cum scandalo publico) reus, ac poenitens crimen suum Superiori confessus fuerit, Minister Provincialis possit eum a poenis ordinariis quoad forum externum absolvere, et aliam poenam magis secretam injungere, cum protestatione tamen, reducendi eum ad pristinum statum, si iterum idem, vel aliud hujusmodi crimen commiserit.

2. Ad servandam justitiae, aequitatisque legem ordinamus, contra partem inauditam, aut contra Religiosum non legitime convictum vel confessum, gravem sententiam ferri non posse, nec debere; latam vero ipso jure nullam declaramus.

3. Decernimus poena talionis omnino puniendos esse, *a*) qui falsum testantur, *b*) qui causant aliquem de crimine, quod legitime et sufficienter probare non possunt; *c*) qui scienter quempiam de crimine alias sufficienter punitum, vel judicialiter jam absolutum accusaverint; *d*) qui alteri crimen, de quo condigne punitus fuit, injuriose objicere praesumserit; *e*) et qui Fratris crimen, quod sat probare nequit, alteri quam Praelato revelaverit.

4. Praecipimus, ut qui in accusationibus, aut denuntiationibus sine urgenti causa primam instantiam scienter transire ausus fuerit, vel relicto suo Superiore locali imediate ad Ministrum Provincialem recurrerit, graviter puniatur pro Superioris arbitrio.

5. Cum ex diversis nationibus in unam Provinciam, et unum corpus morale coalescamus, necesse quoque est, ut omnis nationalitatis affectus in nobis extinguatur omnino, quia filii sumus ejusdem Patris, ideoque omnium nostrnm debet esse cor unum et anima una. Qui in hoc delinquere praesumserit, rigidis subjaceat poenis.

Digitized by Google

6. Volumus,ut Superiores locales interdum, videlicet semel in mense, vel prout occasio tulerit, brevem sermonem ad Communitatem habeant, quo eam paternis exhortationibus et salutaribus monitis ad profectum spiritus stimulent et excitent.

7. Tandem serio monemus Superiores locales, ut in corrigendis subditis a verbis contumeliosis, furiosis, mordacibus et minus religiosis absolute caveant, sed humiliter et charitative corrigant eos, et paterna admonitione, vel si opus fuerit, debita correctione et castigatione ad meliorem frugem eos deducant.

§. III. *De conversatione Fratrum claustrali.*

1. Mandamus et firmiter praecipimus, ut regulare silentium in Choro, Ecclesia, Sacristia, Dormitorio et Refectorio debite servetur; unde statuimus, ut tam hyeme, quam aestate, post datum silentii signum, usque ad horam canonicam Primam sequentis diei omnino sileatur, nisi gravis necessitas contrarium exigat. Diebus vero exercitiorum nullo modo dispensetur in silentio.

2. Ordinamus, ut in mensa, durante lectione, silentium ab omnibus servetur; silentio autem dispensato, nullus Religiosorum alta voce loqui aut clamitare praesumat ad alteram partem, sed omnes decenter et modeste ad invicem conversentur.

3. Sub refectione tam meridiana, quam vespertina semper legatur aliquid vel ex quodam S. scripturae, vel s. Regulae nostrae expositore, vel ex quodam libro theologico, morali ascetico et doctrinali de vita spirituali probe instituenda, ut dum reficitur corpus, etiam spiritus non dimittatur jejunus, et ubi non sunt Clerici et sacerdotes studentes, etiam omnes alii, praecipue juniores, ad lectionem mensalem teneantur.

4. Audito primo signo campanae mensalis ad prandium vel coenam omnes ad Refectorium compareant, et benedictioni intersint, quae fiet more recepto absque cantu, in praecipuis autem solemnitatibus benedictio solita mensae decantetur.

5. Ad Refectorium seu mensam non admittantur promiscue saeculares quicunque, nisi sint viri spectabiles, aut

Digitized by Google

cives honorati, aut alterius conditionis homines Ordini addicti, aut Religiosorum parentes et propinqui. Convivia splendida, aut nimis frequentia non instituantur, sed cum discretione, et ex causa rationabili interdum fiant.

6. Nulli prorsus Religioso liceat cibum aut potum ex mensa secum portare, aut ad explendam propriam gulam, dum extra refectionis horam illa absumuntur, aut ad succurrendum cuicunque, dum pauperum et hospitum ipsi Superiores locales, quantum per facultates licuerit, curam gerere obligentur.

7. Nulli pariter permissum sit, cujuscunque dignitatis existat, in propria cella prandium vel coenam sumere, nisi ex rationabili causa, aut ob infirmitatem manifestam.

8. Superiores locales teneantur lumen nocturnum in dormitorio parare, et tam hyemali, quam aestivo tempore, quantum fieri potest, usque ad diem sequentem conservare.

9. Qui decumbens detracta clavi, vel aliter ad se ingressum impedire, sive sese occludere praesumserit, vel vero sine tunica, aut sine femoralibus dormire repertus fuerit, ad Superioris arbitrium graviter puniatur; qui autem a proprio Conventu ultra diem naturalem abierit, ante discessum suum cubiculi clavem Superiori locali consignare teneatur.

10. Indignum aeque, ac turpe est, propriae famae lucrum ab alienae diminutione mendicare, ac si illius pretium quovis obvio et offraenato discursu cuilibet depraedari liceret. Quapropter stricte praecipitur, ut omnes Fratres quoad famam fraterne invicem sibi consulant, laudabiliter de se invicem loquantur, defectus in communitate quomodocunque commissos aliis Conventibus, minus personis saecularibus, non manifestent, nulliusque vel levem defectum promulgent, nisi ubi loci et temporis ratio salubrem fraternae correctionis stimulum addiderit, invicem occurrentes capitis detectione et inclinatione mutuo sese revereantur, maxime in publico, ne secus, invicem sese spernendo Ordinis aestimationem apud exteros diminuamus.

11. Omnium Epistolae, Patrum Provinciae exceptis, quibus particulare sigillum conceditur, sigillentur per Superiorem localem, aut Conventus Vicarium. Literarius, qui epistolas adfert, omnium subditorum literas Superiori locali consignet, dein respectivis Individuis distribuendas. Omnes vero inutiles aut superfluae correspondentiae tollantur omnino.

Digitized by Google

12. Ad haec cum modestia, praecipue linguae et oculorum mortificatio, in Religiosis maxime ubique desideretur, ordinamus et serio adhortamur in Domino omnes Patres et Fratres, ut ubique locorum et semper, cum eos loqui contigerit, religiose, modeste et submisse loqui assuescant, a garritu et risu nimio abstineant, bireta exotica, aut quaecunque inusitata vestimentorum genera devitent, omnem singularitatem fugiant et in omnibus suis gestibus, motibus ac in ingressu nonnisi pacem, humilitatem et religiosam humilitatem ubique demonstrent.

§. IV. *De Praecedentia et Titulis.*

1. Ut cuique proprius assignari valeat locus, praecedentia inter Patres nostrae Provinciae juxta priscam consuetudinem a die reformationis introductam, extra Capitulum servetur hoc modo: Ministrum Provincialem sequantur Superiores locales; deinde Patres Ordinis, post hos Patres Provinciae olim Provinciales, inter se autem juxta prioritatem electionis, postea Custos et Definitores Provinciae actuales; quos excipiant Custodes habituales juxta prioritatem ingressus in Ordinem inter se; dein Secretarius Provinciae; post quem Vicarius Conventus; ac post hunc Definitores habituales; posthac succedant juxta tempus, quo Ordinis habitum susceperunt, ss. Theologiae et Philosophiae Lectores, scholarum Directores, Parochiae Administratores, Novitiorum Clericorum Magistri, Concionatores ordinarii, tandem sequantur reliqui Patres, Clerici, Laici, et Tertiarii juxta antianitatem inter se.

2. Item, ne difficultates, vel controversiae oriantur ratione Conventuum, statuimus et ordinamus, ut in Capitulis Provincialibus, aut secus, dum de eorum praecedentia sermo oscurrerit, sequens, prout jam ab antiquo, Conventuum ordo servetur: 1. Conventus *Labacensis* B. V. M. Annuntiatae; 2. Conventus *Tersactensis* Divae Virginis Gratiarum; 3. Con. *Castagnavizzensis* penes Goritiam B. V. M. Annuntiatae; 4. Conv. *Rudolphswerthensis* (Neostadiensis) S. Leonardi Conf.; 5. Conv. *Lithopolitanus* S. Jacobi Ap.; 6. Conv. *Pisinensis* Visitationis B. V. M.; 7. Conv. *Samoboriensis* B. V. M. Assumptae; 8. Conv. *Klanjecensis* B. V. M. Annuntiatae; 9. Conv. *Nazarethanus* B. V. M. Annuntiatae; 10. Conv.

Digitized by Google

Carolopolitanus Ss. Trinitatis; 11. Conv. *Runensis* S. Antonii Patav. 12. Conv. *Jaskensis* B. V. M. Assumptae.

3. Ad tollendum quemcunque inter Fratres disordinem a prisco Ordinis usu sequentes Fratribus *titulos* competere declaramus: *Admodum Reverendus* solis Ministris et Vicariis Provincialibus, Patribus Ordinis et Provinciae, i. e. Provincialatus officio functis. *Reverendus* Custodibus, Definitoribusque actualibus et habitualibus, nec non Gnardianis actualibus. *Multum Venerandus* Praesidentibus, Magistris Novitiorum Clericorum, Provinciae Secretario, Vicariis Conventuum, Jubilaeis, Administratoribus Parochiarum, Directoribus scholarum, Lectoribus studii domestici ac Magistris Clericorum. *Venerandus* Sacerdotibus, qui annum Religionis vigesimum compleverunt, Cooperatoribus parochialibus, Concionatoribus ordinariis, Exhortatoribus Fr. Fr. Laicorum et pubblico *officio* fungentibus (his omnibus in suo munere actualibus tantum). Reliqui Sacerdotes simpliciter *Patres* titulentur; Clerici studentes *religiosi;* Fr. Fr. Laici *devoti.* In schematismo vero typis impresso isti Tituli non exprimantur, sed officia tantum et *Emerentiae* adducantur.

CAPUT UNDECIMUM.

Quod Fratres non ingrediantur monasteria Monialium.

§. I. *De vitandis suspectis consortiis.*

1. Cum non a malo tantum, sed a mali etiam specie cavendum nobis sit, praecipimus omnibus et singulis, ut studiose declinent consortia, familiaritates, conversationes, sequestrationes et colloquia mulierum, ac personarum talium, ex quibus mali suspicio esse potest, tametsi sano animo, candidoque, et sana ac bona mente fiant, ut sic eo facilius enitamur ad perfectam non corporis solum, sed et mentis puritatem assequendam.

2. Si quis antem de suspecto consortio notatus fuerit, et paterne admonitus non se emendaverit, si officium tenuerit, eo suspendatur, vel etiam privetur, vel aliis quoque plectatur poenis, prout in Statutis generalibus determinantur.

Digitized by Google

3. Quicunque convictus fuerit, suspectas domos ingressum fuisse, vel frequentem conversationem cum hujusmodi mulieribus habere, ab eo loco omnino amoveatur, et gravius arbitrio Superioris puniatur. Eandem poenam subeat, qui sequestratus a socio locutus fuerit cum mulieribus, de quibus judicio Superioris merito suspicio oriri possit.

4. Nulli quoque liceat ad portam Conventus, vel in Sacristia, vel in alio quocunque loco nimia habere cum mulieribus conventicula et colloquia; sed cum necessitas qualiscunque ad colloquendum cum ipsis suaserit, ad terminandum quam citissime tale negotium unusquisque festinet, omnemque inutilem, vanam et superfluam cum altero sexu confabulationem pro viribus vitare satagat. Sit secundum S. Augustini (in ps. 50) monitum cum *foeminis brevis sermo et rigidus.*

5. Sub poena suspensionis ab officio praecipimus Superioribus localibus, ut strictam in Conventibus servent et servari faciant Clausuram, et quae *S. Pius V. Gregorius XIII.* ac *Benedictus XIV.* in sua Constitutione: *Regularis disciplinae*, data Romae ad S. Mariam Majorem sub Anulo Piscatoris 3. Jan. 1742. Pontificatus sui anno secundo, de mulieribus in Monasteria, Conventus, domos et loca Regularium non admittendis piissime statuerunt, inviolate serventur; et qui contra fecerit, ultra poenas indictis Constitutionibus Pontificiis statutas, a Ministro Provinciali gravius puniatur.

§. II. *De accessu ad Monialium monasteria.*

Vi Statutorum et Constitutionum papalium etiam accessus ad Monialium monasteria sine licentia Superiorum nobis prohibitus est. Nullus ergo Fratrum sine licentia Superioris majoris vel saltem localis accedere audeat ad sic dicta *parlatoria* et alia loca, in quibus Moniales ad colloquendum cum caeteris conveniunt.

CAPUT DUODECIMUM.

De euntibus inter infideles.

§. I. *De sacris missionibus.*

1. Si quis Fratrum voluerit ire inter Saracenos, infideles, haereticos et schismaticos, in eorumque conversione

Digitized by Google

gratiam desuper datam impendere, ac si a Ministro Provinciali licentiam acceperint, idoneique judicati fuerint ad mittendum, ii non tantum non impediantur, sed omnibus etiam charitatis et benevolentiae subsidiis subleventur ad effectum facilius consequendum; atque si post exantlatos multos in Missionibus labores in Provinciam fors demum redierint, ceu de Ecclesia bene meriti omni cum favore tractentur.

2. Sacerdotes autem idonei ad tale munus sint (juxta S. Bonaventuram) *robusti corpore, constantes in fide, probati virtute et semper irreprehensibiliter conversati.* Provincialis autem sine consilio et consensu Definitorii in Capitulo congregati nulli concedat facultatem eundi inter haereticos.

§. II. *De salute animarum procuranda.*

1. Confessarius, qui requisitus ab aliqua persona, Sacramentum poenitentiae eidem administrare ex frivolis rationibus recusaverit, aut per Sacristam vocatus tergiversatus fuerit, vel vero, quod deterius foret, Confessiones petentes verbis minus decentibus affecerit, a Superiore serio corripiatur, vel, si opus fuerit, poenis etiam condignis afficiatur.

2. Dum quempiam ad infirmum evocari contigerit, omnibus sepositis, ad requisitum locum se conferat, omnibusque charitatis et pietatis officiis infirmum adjuvet et confirmet, atque ad felicem in aeternitatem transitum pro viribus disponat.

3. Idem dicendum venit de iis quoque sacerdotibus et Confessariis, qui vel educandis Ordinis Alumnis in Studio domestico, vel erudiendis pueris et juvenibus in scholis publicis occupantur, ut videlicet, quantum per officiorum suorum labores eis licuerit, in procuranda proximorum salute lubenti animo, zelose et sedulo adlaborent.

4. Si quis Confessarius directe, indirecte, per se, vel per interpositam personam aliquam a poenitentibus pecuniam recepisse convictus fuerit, obnoxius omnino sit proprietarii poenis, et si circumstantiae admittunt, a loco illo in alium mittatur.

5. Quoniam Pater noster Seraphicus ea, qua plenus erat, charitate, per trium Ordinum institutionem fidelibus universis ad poenitentiae, aeternaeque salutis fructum prodesse voluit, ejusdem votis obsequentes, omnes et singulos

Digitized by Google

Superiores, Confessarios et Concionatores hortamur, monemus atque etiam in Domino rogamus, ut qua fieri potest, diligentia sacrum Poenitentium Ordinem promoveri, et magna in veneratione haberi curent, non sola externa pietatis specie contenti, sed solidum ac genuinum poenitentiae spiritum talibus in personis procurantes.

6. Tandem universos Provinciae nostrae Religiosos, praesertim in itinere, aut quomoducunque in saecularium conspectu constitutos, serio monemus et in Domino obsecramus ut verbo pariter et exemplo, conversatione omnino religiosa, homines quoscunque ad profectum spiritualem excitent, moralibus, asceticisque colloquiis in via salutis confirment, errantes cum charitate reducant, cunctis pacem et salutem in spiritus virtute annuntient, ad aeternaeque beatitudinis portum deducant longinqnos a salute.

§. III. *De horum Statutorum observantia.*

1. Quoniam in praesentibus Statutis omnia praesertim minutiora, quae in hac Provincia usu recepta sunt, non attinguntur, omnes ac singulos laudabiles Provinciae nostrae usus et consuetudines communiter approbamus, et ab antiquo servatos, (iis duntaxat exceptis, quibus in his Statutis, temporum ita exigente ratione expresse derogatur) praesentibus hisce generaliter acceptamus, et pro hic insertis haberi, ac omnino servari volumus.

2. Religionis enim in veteri splendore suo conservandae summa haec est: Observatio veterum consuetudinum, unde hoc maxime sancitur et supremum Statutum, quod pristina inviolate serventur.

3. Ne itaque in contemptum veniat Ordinis disciplina, praemissa Statuta ab omnibus servari volumus et jubemus, ita ut Superioribus quibusvis, Provinciali scilicet Ministro in tota Provincia, et Guardianis in suis Conventibus in omnibus supradictis Fratres omnes et singuli obedire teneantur, prout in aliis licitis et honestis, quae non sunt contra animam suam et Regulam nostram. Qui contraire praesumserit, si debite monitus in contumacia perstiterit, poenis afficiatur, quibus inobedientes, contumaces et perduelles afficiendi sunt.

4. Caeterum ad hanc consequendam observationem expeditissima via est Majorum exemplum. Si enim universi-

Digitized by Google

tas Fratrum videat Provincialem, Custodem, Dafinitores, Guardianos, Vicarios, Lectores, Professores, aliosque officiales ad tramitem Regulae et Constitutionum officiis suis fideliter inservire, caeteri Fratres proculdubio aut omnino servabunt Constitutiones, aut transgressionum poenam facilius ferent.

5. Hinc Superioribus quibusvis districte praecipitur, ut praedicta omnia, quantum ad eos spectat, accurate servent, et in suis administrationibus ab omnibus servari diligenter curent; quique in his notabiliter negligentes fuerint *suspendantur ab officiis*, vel etiam *priventur*. Quapropter Ministri Provinciales in suis visitationibus super horum observantia specialiter inquirant.

6. Si qua difficultas, vel dubitatio super his Statutis occurat, id Patri Provinciali duntaxat cum ven. Definitorio et nulli absolute privato Individuo explicandum ac decidendum relinquimus.

7. Declaramus vero, per haec Statuta Fratres non adstringi ad culpam coram Deo, nisi quatenus ex lege divina, vel Regula ipsa, vel expresse ex declarationibus *Nicolai* III. *Clementis* V. allegantur, aut contemptus gravis accedit.

8. Ne autem ignorantia sit occasio delinquentium, volumus, ut S. Regula quolibet Sabbatho non impedito publice in Refectorio legatur, vespere vero Testamentum S. P. N. Francisci; deinde ordinamus, ut Declarationes Nicolai III. et Clementis V. semel saltem in anno, speciatim tempore quadragesimalis vel nostri Regularis jejunii legantur, insuper strictissime mandamus, ut Statuta haec, postquam typis impressa et promulgata fuerint, singulis quatuor temporibus toti communitati religiosae publice (exceptis illis, quae cap. VIII. §. II. et cap. X. §. IV. dicta sunt) clare et dictincte praelegantur ac Fratribus Laicis et Tertiariis omnia puncta, quae ipsos concernunt, lingua vernacula ab eorum respectivis Exhortatoribus exponantur, sub gravi poena Superioribus localibus id negligentibus per Ministrum Provincialem infligenda.

9. Unde omnes et Patres et Fratres hortamur in visceribus Jesu Christi, et amore S. P. N. Francisci, ut non ex formidine poenae, sed virtutis amore istis Statutis voluntarie sese subjiciant. Intime persuasum habeant sibi universi in exemplaritate morum, et virtutum exercitio consistere felicitatem vitae praesentis pariter et futurae. Haec conciliant

Digitized by Google

hominum gratiam in praesenti, et Beatorum gloriam in futuro. Nec Statuta haec penitus nova sunt, aut ordinatio recens inventa; sed repetitio sunt exigua eorum, quae a Majoribus nostris et in Ordine toto, et in Provincia hac toties praescripta et inculcata fuerunt. Agite igitur et confortamini, zelantes honorem Dei, salutem animarum et decorem Ordinis, effusisque Deum exorate precibus, ut per merita et intercessionem Beatissimae Virginis Mariae, ac Seraphici Patris et Legislatoris nostri in Regula, quam professi estis, ipsoque adjuvante, eadem faciatis, sicque ad promissam Vobis in Professione vitam aetrernam pervenire feliciter mereamini. Amen.

Omnia haec supradicta ab omnibus Provinciae nostrae membris observari debere districte praecipimus, volumus et mandamus, illaque omnia acceptamus, approbamus et definimus.

GRATIA DOMINI NOSTRI

Jesu Christi

et charitas Dei et communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis.

Amen.

Digitized by Google

Approbatio

horum Statutorum municipalium

Statuta Almae Provinciae S. Crucis Croatiae-Carnioliae in praesenti libello contenta, a R. R. P. P. Definitoribus Provinciae et Guardianis speciali nostra Facultate ad Capitulum Provinciale congregatis anno Dni 1871. die 30. Augusti in Conventu Labacensi ad B. V. M. Annuntiatam, unanimiter approbata et acceptata perdiligenter examinavimus, eademque, utpote ex Constitutionibus Apostolicis, praecipue Nicolai III. et Clementis V., ex Statutis Ordinis generalibus et ex Statutis Provinciae antiquioribus exacte prudenterque composita, tenore praesentium approbamus et confirmamus, sine praejudicio tamen aliorum Statutorum Apostolica auctoritate confirmatorum, nec non et aliorum Superiorum Generalium, quorum vigori contradicere non intendimus.

(*L. S.*) Fr. **EUSEBIUS SCHMID** *m. p.*

Ref. Prov. Tirol. D. Leopoldi alumnus,
p. t. Commissarius Generalis et
Capituli Praeses.

Datum Labaci ex Conventu
ad B. V. M. Annuntiatum die 30. Aug. 1871.

Digitized by Google

APPENDIX.

I.

Instructio

super obligatione votorum simplicium solemni professioni praemittendorum.

Ad omnem ambiguitatem circa naturam et obligationem votorum simplicium tollendam, uberioremque notitiam hujus summi momenti materiae suppeditandam, atque debitam hac in re observantiam firmandam, sequentia sunt relegenda; quae S. Sedes Ap. anno 1857. Visitatori Apostolico S. R. C. Cardinali J. Scitovsky intimabat et postea dilucidabat.

Obligatio voti tam simplicis quam solemnis juris est divini, omne enim votum natura sua importat officium religionis. Unde hoc respectu nullum inter utrumque obtinet discrimen; et votum simplex non minus obligat quam solemne, atque utriusque violatio mortale peccatum est. — Solemnitas autem voti est juris positivi ecclesiastici, ex solo Ecclesiae statuto proveniens, et formaliter consistit non in traditione, quam ipsum votum includit, sed in hoc tantummodo, quod Ecclesiae auctoritate statutum est, hujusmodi votum esse solemne. Est ergo discrimen voti simplicis et solemnis non specificum, sed accidentale, consistens in eo, ut propter majorem minoremve vim ab Ecclesia ipsis additam effectus diversi ab utroque causentur. — Quamquam itaque inter vota simplicia et solmnia nullum sit essentiale discrimen, discrepant ea tamen multum alio respectu. Simplicia perpetua sunt ex parte solum voventis, non etiam religionis, solemnia ex utraque parte. Quamobrem simplicia obligant solum intra ambitum religionis, i. e. quamdiu quis in ordine, in quo ea emisit persistit, dimissus iis penitus solvitur ita, ut non relaxata aut dispensata, sed reipsa exstincta habeantur, quia cessat conditio sub qua emissa sunt. Econtra solemnia nunquam exstinguuntur, etiam si quis ob incorrigibilitatem ejiciatur.

Per vota simplicia non emittitur professio proprie et stricte sic dicta, quia haec in rigore sumta fit cum vinculo ex utraque parte (religionis et religiosi) indissolubili per

Digitized by Google

traditionem unius et per acceptationem alterius irrevocabilem; per vota autem simplicia fit incorporatio cum perfecta et irrevocabili traditione ex parte quidem religiosi, non item ex parte religionis. Hinc in Decretis Pontificiis dicuntur vota simplicia *tendere ad emittenda deinde vota solemnia, in quibus perfectionem et complementum accipiunt.* Atque non omnis in religione aliqua adprobata votorum nuncupatio, sed ea tantum professionis vim et nomen habet, qua ex institutione decretorum Ecclesiae vovens ita incorporatur religioni, ut nec haec illum *dimittere*, neque ipse a religione *recedere* unquam possit. — Vi votorum simplicium tamen religiosus, quippe qui per ea traditionem sui facit perpetuam transit in potestatem et dominium religionis obsecuturus in omnibus, quae sunt juxta ipsius regulas et constitutiones. Religio vero vicissim obligatur ad illum alendum et gubernandum, sicut obligatur mater alere et gubernare filium, cum hac tamen restrictione, quod vota haec non inducant *absolutam indissolubilitatem*, cum ex justa causa is, qui haec emisit, *e religione dimitti possit*, religio enim voventem sub hac solum conditione incorporat. Quare emergente justa dimissionis causa, obligatio utrinque penitus rescinditur. Videri fortasse alicui posset, injustitia non vacare contractum inter religiosum et religionem eo pacto initum, ut ille quidem *perpetuo et irrevocabiliter* obstrictus sit religioni, huic vero salva sit potestas *eum*, cum visum fuerit, *dimittendi.* Ast nulla in hoc injustitia reperitur; nam scienti et volenti, ut habet regula juris, injuria irrogari nequit, atqui emittentes praedicta vota norunt eam conditionem, utpote quae per decursum novitiatus iisdem insinuatur; quare cum scientes prudentesque eam admittant, nulla in illos fit injustitia, tanto etiam minus, quod privatae suae utilitati renuntiare cuilibet sit integrum. Et haec inaequalitas in *favorem* religionis constituta est ob causas maximi momenti, scilicet, ne religio retinendo homines vitiosos aut fini societatis prorsus ineptos, detrimentum capiat. —

Circa vota simplicia professioni solemni praemittenda sequentia jure constituta rataque sunt:

Auctoritate Sanctissimi D. N. Pii IX. s. Congregatio super statu regularium ddo 19. Martii 1857. sequens Decretum edidit: „Peculiaribus adductus rationibus, auditaque sententia S. R. E. Cardinalium S. Congregationis super statu regularium Sanctissimus D. N. Pius IX. quoad regulares vi-

Digitized by Google

rorum familias cujuscunque Ordinis, Congregationis et Instituti votorum solemnium in ditione Caesareae Apostolicae Majestatis existentes, ex Apostolicae autoritatis plenitudine haec, quae sequuntur, statuit, constituit, atque decernit. Peracta probatione et novitiatu ad praescriptum S. C. Tridentini, Constitutionum Apostolicarum et Statutorum Ordinis a S. Sede adprobatorum, Novitii vota simplicia emittant, postquam expleverint aetatem annorum sexdecim ab eodem Tridentino Concilio statutam, vel aliam majorem, quae forsan a statutis Ordinis a S. Sede adprobatis requiratur, et quoad laicos et conversos, postquam ad eam pervenerint aetatem, quae in Constitutione Clementis VIII. incipien. „In supremo“ praefinita est. Professi post triennium a die, quo vota simplicia emiserint, computandum, si digni reperiantur, ad professionem votorum solemnium admittantur, nisi fortasse pro aliquibus locis, uti nonnullis Institutis indultum est, professio votorum simplicium ad longius tempus concessa fuerit. Poterunt vero Superiores, elapso triennio professionem votorum solemnium differre non tamen ultra aetatem annorum viginti quinque expletorum“.

Adductum hoc Decretum , ut ex argumento ejus videre est, proxime quoad regulares virorum familias votorum solemnium in ditione s. Caesareae Apostolicae Majestatis existentes emissum est. Constitutiones ejus tamen per encyclicas s. Congregationis super statu regularium ddo 19. Martii 1857, quae verbis „Neminem latet“ incipiunt, etiam aliis regularium Superioribus communicatae sunt. Summa encyclicarum „Neminem latet“ sequens est: „Reverendissime Pater! — Neminem latet, tristissimis hisce temporibus, quibus inimici Crucis Christi humana divinaque omnia pessundare ac mores pervertere student, maximam adhibendam esse curam, sollicitudinem, diligentiam ad eorum spiritum, uti par est, probandum , qui vota solemnia Deo nuncupare postulant, ne quis admittatur, qui saeculi contagione pollutus tamquam ovis morbida electum Christi gregem inficiat, vel verae vocationis expers , et suscepti Instituti poeniteat, et gravem sodalibus molestiam afferat cum disciplinae perturbatione et regularis observantiae discrimine. Hinc porro evenit, ut qui ex adverso sunt, contra regulares familias, licet de Christiana et civili republica optime meritas, pleno ore blaterent, et culpam, quae paucorum est, in universum Coetum conferant. Ex quo non levi religionis damno debita

Digitized by Google

christiani populi erga religiosas familias opinio et reverentia vel maxime imminuta. Siquidem Regulares viri propriae vocationis assiduae memores esse debent, et omnium virtutum splendore fulgere, atque ex proprii Instituti regula nullis curis, nullisque laboribus parcere, ut majorem Dei gloriam ac sempiternam hominum salutem procurare queant. Quod si semper, hisce praesertim temporibus, ab ipsis majori studio et contentione est praestandum, cum populi licet omnigenis insidiantium hominum erroribus fraudibusque misere decepti, tamen et veritatis luce ac sanctissimae nostrae religionis auxilio se maxime indigere sentiant. Quocirca Regulares viri, qui auxiliares, Ecclesiae milites merito semper dicti et habiti sunt, nihil nunc intentatum relinquere debent, ut qua opere, qua voce, qua exemplo errorum tenebras dissipent, hominumque mentes divino nostrae religionis lumine illustrent, errantes in omni bonitate, patientia ac doctrina ad veritatis et salutis semitas perducant, vitiorum germina radicitus evellant ac pietatem, religionem omnemque virtutem ubique foveant, excitent, et propagent. Ut autem haec prospere feliciterque agere et consequi valeant, caritatem inprimis praeseferant oportet, quae virtutum omnium parens et altrix, quaeque patiens atque benigna omnia suffert, omnia sustinet, et idcirco necesse est, Religiosos ipsos Viros arctissimo caritatis vinculo inter se esse conjunctos, quo concordissimis animis consociatisque studiis praeliantes bella Domini, et quaerentes unice, quae Christi sunt, possint Dei ejusque sanctae Ecclesiae regnum magis in dies extendere.

Cum igitur Ecclesia prudenti quadam oeconomia ingruentibus malis juxta rerum ac temporum adjuncta provide sapienterque occurrere soleat: Sanctissimus D. N. Pius PP. IX. Religiosos Ordines praecipua benevolentia prosequens, et ab iis hujusmodi mala avertere summopere cupiens, rem deferendam voluit ad S. Congregationem super statu Regularium, ut Patres Cardinales, rebus accurate discussis, proponerent, quidquid in Domino expedire existimassent. Itaque auditis eorumdem Cardinalium sententiis, universaque rei ratione sedulo perpensa, haec quae sequuntur, quoad Religiosas virorum familias, in quibus solemnia vota emittuntur, ex Apostolicae Auctoritatis plenitudine statuit atque decernit, et ab omnibus ad quos spectant, ex obedientiae praecepto observari et executioni demandari districte jubet et contrariis quibuscunque etiam speciali et individua mentione et derogatione dignis derogat, ac plene derogatum esse declarat.

Digitized by Google

Peracta probatione et novitiatu, ad praescriptum S. Concilii Tridentini, Constitutionum Apostolicarum et statutorum Ordinis a S. Sede adprobatorum, Novitii vota simplicia emittant, postquam expleverint aetatem annorum sexdecim ab eodem Tridentino Concilio statutam, vel aliam majorem, quae forsan a statutis proprii Ordinis a S. Sede adprobatis requiratur; et quoad Laicos et Conversos postquam ad eam pervenerint aetatem, quae in Constitutione Clementis VIII. incipien. „In Supremo“ praefinita est.

Professi post triennium a die, quo vota simplicia emiserint, computandum, si digni reperiantur, ad professionem votorum solemnium admittantur, nisi fortasse pro aliquibus locis, uti nonnullis Institutis indultum est, professio votorum simplicium ad longius tempus jam concessa fuerit. Poterit vero Superior Generalis, ac etiam Superior Provincialis ex justis et rationabilibus causis professionem votorum solemnium differre, non tamen ultra aetatem annorum viginti quinque expletorum. Si vero in Ordine seu Instituto Provinciales non habeantur, eadem differendi professionem votorum solemnium facultas attribuitur etiam Superiori Domus Novitiatus, de consensu tamen Magistri Novitiorum et duorum Religiosorum, qui in Instituto aliquo gradu insigniti sint.

Decreta S. Congregationis super statu Regularium, incipientia „Romani Pontifices“ et „regulari disciplinae“ anno 1848 promulgata omnino serventur in receptione ad habitum, novitiatum et professionem votorum simplicium. Quae de votis simplicibus emittendis superius sancita sunt, servanda erunt relative ad eos, qui post datum praesentium ad habitum admittentur.

Haec sunt, quae Tibi ex mandato Sanctitatis Suae significanda erant, ut ea Religiosis tuo regimini subjectis denuncies, et interim fausta a Domino adprecor. Datum Romae ex S. Congregatione super statu Regularium die 19. Martii anno 1857.

A. Archiepiscopus Philippen. Secretarius.

Hisce adductis conformiter Novitii exacto tirocinii tempore ubi decimum sextum aetatis suae annum compleverint, ad vota simplicia admittendi sunt, conformiter praescripto Concilii Tridentini ss. 25. de reg. cap. 16. ita statuentis: „Finito tempore novitiatus Superiores novitios quos habiles invenerint ad profitendum admittant aut e monasterio

Digitized by Google

ejiciant". Post triennium a die emissorum votorum simplicium computandum, his obstricti, si digni reperiantur ad professionem solemnem admittantur. Cum vero in ditionibus Imperii Austriaci vi resolutionis ddo 13. Julii anno 1802 cautum sit, *professionem solemnem* ante completum vigesimum primum aetatis annum emittere, Sanctitas Sua benigne concessit, ut receptae huic praxi porro quoque mos geratur, adeoque apud nos religiosus qui forte exacto decimo sexto aetatis suae anno vota simplicia emisit, non post triennium sed post quinquennium, ubi namque annum *vigesimum primum* compleverit, vota solemnia poterit nuncupare. Ceterum arbitrio superiorum relictum est, elapso licet triennio aut generatim legali termino professionem votorum simplicium differre, non tamen ultra aetatem annorum *viginti quinque* completorum. Votorum solemnium, sed non ultra vigesimum quintum aetatis annum arbitrio Superiorum relicta dilatio in Austriacis Ditionibus in obligationem transiit, cum hicce Ordinum Superioribus ddo 19. Martii 1857. ex parte S. Congregationis Episcoporum, et Regularium sequens mandatum communicatum est: „Reverendissime Pater! — Mitto ad Te decretum, quo de votis simplicibus emittendis ante professionem votorum solemnium in religiosis virorum familiis in Ditione S. Caesarae Apostolicae Majestatis existentibus decernitur. In eo Superioribus regularibus facultas tribuitur differendi professionem votorum solemnium etiam expleto triennio votorum simplicium, non tamen ultra vigesimum quintum expletum aetatis annum. Verum peculiaria rerum adjuncta exigunt, ut in domibus religiosis in enunciata Ditione constitutis professio votorum solemnium differatur juxta morem et praxim innibi nonnullis abhinc annis inductam. Quapropter ea est Sanctitatis Suae mens et voluntas, ut Superiores regulares facultate eis in dicto decreto attributa, differendi scilicet professionem votorum solemnium, uti debeant juxta superius memoratum morem et praxim. Haec Tibi ex mandato Sanctitatis Suae significo et fausta apprecor a Domino. Datum Romae ex S. Congregatione Episcoporum et Regularium die 19. Martii, anno 1857.

Natura et extensio votorum simplicium, ab anno 1857. in Ordinibus religiosis introductorum.

Per Decretum ddo 19. Martii 1857. auctoritate Sanctissimi D. N. Pii IX. a S. Congregatione super statu Re-

Digitized by Google

gularium emanatum in Austriacis Ditionibus, et per encyclicas ejusdem Congregationis: „Neminem latet“ ubique (ut vidimus) omnibus regularibus virorum familiis professio votorum simplicium professioni solemni praemittenda praescripta est adeo, ut illis praetermissis, haec irrita sit, planeque nulla, prout expresse magno verborum pondere constituit Pius IX. in edito ddo 7. Februarii anno 1862 brevi. — Cum tamen circa naturam et extensionem votorum simplicium proxime plura dubia ennata erant, quorum solutio a S. Sede petebatur, fusior de votis simplicibus expositio facta est per Decretum S. Congregationis super statu Regularium, quod incipit „Sanctissimus“ quodque ddo 15. Iunii 1858. Ministro Generali Ordinis Minorum Observantium et Reformatorum communicatum quoad argumentum sonat: „Sanctissimus D. N. Pius PP. IX. attentis precibus Ministri Generalis Ord. Minor. Observant. et Reformator. haec, quae sequuntur circa naturam et qualitatem votorum simplicium in encyclicis litteris hujus S. Congregationis super statu Regularium die 19. Martii 1857 praescriptorum et circa obligationes et privilegia illorum, qui ea emittent, pro eodem Ordine decernenda statuit, prout praesentis decreti tenore Apostolica auctoritate decernit atque constituit:

1. Vota simplicia, de quibus agitur, *perpetua erunt ex parte voventis*, utpote quae tendunt ad emittenda deinde vota solemnia, in quibus perfectionem et complementum accipient.

2. Eorumdem votorum simplicium *dispensatio reservata est Romano Pontifici*, cui Professi gravibus urgentibus causis preces porrigere poterunt.

3. Verum eadem simplicia vota *solvi* etiam possunt ex parte Ordinis *in actu dimissionis Professorum*, ita ut data dimissione Professi ab omni dictorum votorum vinculo et obligatione eo ipso liberi fiant.

4. Facultas autem dimittendi Professos votorum simplicium, de quibus agitur, spectat ad *Ministrum Generalem* Ordinis cum suo Generali Definitorio. Idem Minister Generalis cum suo Generali Consilio poterit in casibus extraordinariis et praesertim pro regionibus et locis longinquis ad dimissionem decernendam *subdelegare* probos et prudentes Religiosos, qui saltem tres esse debent.

5. Licet ad decernendam dimissionem neque processus neque judicii forma requiratur, sed ad eam procedi

Digitized by Google

possit sola facti veritate inspecta, tamen Superiores procedere debent summa caritate, prudentia et ex justis ac rationabilibus causis, quacunque humana affectione remota, secus eorum conscientia graviter onerata remaneat. Nemo autem ex causa infirmitatis post professionem votorum simplicium superventae dimitti poterit.

6. Professi dictorum votorum simplicium participes erunt omnium gratiarum et privilegiorum, quibus professi votorum solemnium in memorato Ordine legitime utuntur, et gaudent.

7. Superiores Regulares, ad quos spectat, concedere poterunt hujusmodi Professis litteras dimissorias duntaxat ad primam Tonsuram et ad Ordines minores, servatis tamen de jure servandis, et praesertim quae circa ordinationes Regularium ab Apostolica Sede praescripta sunt.

8. Anni professionis, qui in dicto Ordine requiruntur, ut quis voce activa et passiva gaudeat et ad Officia admitti possit, a die emissionis votorum simplicium computentur, et Professi votorum simplicium suffragium habeant in actis capitularibus sui Conventus, quatenus et prout habent solemniter professi.

9. Professi votorum simplicium dominium radicale, uti ajunt, suorum bonorum retinere poterunt, sed eis omnino interdicta est eorum administratio et redituum erogatio atque usus. Debent propterea ante professionem votorum simplicium cedere pro tempore, quo in eadem votorum simplicium professione permanserint, administrationem et usumfructum et usum, quibus eis placuerit, ac etiam suo Ordini, si ita pro eorum libitu existimaverint. —

10. Professi votorum simplicium remanere debent in domibus Professorii et Studiorum et vitam communem perfectam observare.

11. Ad valide emittenda vota solemnia post vota simplicia requiritur professio expressa et ideo professio tacita omnino abrogata est. —

Haec Sanctitas Sua statuit atque constituit contrariis quibuscunque etiam speciali mentione dignis non obstantibus, quibus Apostolica Auctoritate derogat ac derogatum esse declarat. Datum Romae ex Secretaria S. Congregationis super statu Regularium de 15. Juni 1858. A. A. Eppus Philippen. Secretarius.

Adnotatio. *Respectu formae Professionis votorum sim-*

Digitized by Google

plicium Reverendissimus Minister noster Generalis in suis litteris encyclicis ddo 10. Julii 1858. significavit: „Animadvertimus, nullam mutationem occurrere in formula professionis virtute decretorum, quae praescribunt professionem votorum simplicium, sed sufficere, ut professioni, quae emittenda erit in publica Ecclesia veluti professio solemnis, adjungantur sequentia verba illico post praefatam formulam subjungenda, videlicet: Juxta Decretum Pianum, quod incipit: „Neminem latet", emanatum die 19. Martii 1857. et analogas instructiones Ministro Generali exhibitas ac editas mediante alio Decreto dato die 15. Junii 1858. quod incipit „Sanctissimus Dominus noster". —

Praeterea idem Ordinis Generalis in hac causa praecipit: „Praescribimus autem Magistris Novitiorum, ut ante professionem omni cura atque diligentia Novitios edoceant naturam atque qualitatem votorum simplicium, nec non obligationes, quas pariunt. Pariter volumus, ut Ministri Provinciales ante professionem Novitios per semetipsos vel per alium Patrem idoneum interrogare curent super qualitate et natura dictorum votorum, et si instructionis specimen non exhibuerint, ad professionem non admittantur". —

Haec instructio, complectens decreta et declarationes S. Sedis Apostolicae circa votorum simplicium naturam et effectus, in admittendis alumnis ad vota tum simplicia tum solemnia, adamussim observetur.

II.

A) Ritus induendi Novitios Ord. Fratr. Minor.

Superior, aut alius de ejus mandato, indutus Alba, Stola et Pluviali, pro temporis et officii ratione convenienti, egreditur ad Altare cum aliis Religiosis Conventus, et stans in medio Altaris, Iuvene in inferiori ipsius Altaris gradu genibus flexis existente has sequentes Orationes, versa facie ad Sacramentum, dicat incipiendo absolute:

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus, qui a saeculi vanitate conversos ad bravium supernae vocationis accendis, et qui renuntiantibus saeculo mansiones paras in coelis; dilata cor hujus famuli tui coe-

Digitized by Google

lestibus donis, ut fraterna nobiscum teneatur compagine charitatis; unanimis, constans, sobrius, simplex et quietus regularia sanctorum Patrum instituta custodiat, et ad eum, quem te inspirante perfectionis spiritum concepit, te adjuvante perveniat. Per Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

OREMUS.

Domine JESU Christe, dux, salus et fortitudo nostra, humiliter petimus, ut famulum tuum, quem sanctae compunctionis ardore ab hujus saeculi vanitate separasti, etiam a conversatione terrena discernas, et gratiam, qua in te perseveret, infundas, ut protectionis tuae praesidio munitus, quod te donante affectat, te adjutore compleat; ut suae conversionis executor effectus, ad ea, quae perseverantibus in te promittere dignatus es feliciter pertingat. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum.

℟. Amen.

Deinde procedat Sacerdos ad cornu Epistolae, et ibi stans benedicat vestimenta, paulo ante a Sacrista in eodem cornu super aliquo scabello opportune, ac decenter praeparata dicens:

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit coelum et terram.
℣. Sit nomen Domini benedictum.
℟. Ex hoc nunc, et usque in saeculum.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Ed cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine JESU Christe, qui tegumen nostrae mortalitatis induere dignatus es, obsecramus immensam tuae largitatis abundantiam, ut hoc genus vestimenti, quod sancti Patres ad innocentiae et humilitatis indicium abrenuntiantes huic saeculo ferre sanxerunt ita bene † dicere et sancti† ficare digneris, ut hic famulus tuus, qui sanctae Religionis habitum piae devotionis affectu assumere intendit, te intus veraciter induere mereatur. Qui vivis et regnas cum

Digitized by Google

Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus per omnia saecula saeculorum.

℟. Amen.

Super Chordam, sive Cingulum.

OREMUS.

Deus, qui ut servum redimeres, Filium tuum per manus impiorum ligari voluisti, bene † dic, quaesumus, Cingulum istud, et praesta, ut famulus tuus, qui eo velut ligamine poenitentiali sui Corporis cingetur, vinculorum ejusdem Domini nostri JESU Christi perpetuo memor existat, et in Ordine, quem assumit, perenniter perseveret, tuisque cum effectu semper obsequiis se alligatum esse cognoscat. Per eumdem Christum Dominum nostrum ℟. Amen.

Quibus dictis aspergantur simul et Iuvenis et vestimenta aqua benedicta sine incenso. Deinde auxiliantibus Ministris exuatur Juvenis saecularibus vestimentis a Sacerdote, sive Superiore dicente:

Exuat te Dominus veterem hominem cum actibus suis ℟. Amen.

Et illum postea Religionis habitu induendo ad singula vestimenta dicat:

Ad Tunicam:

Induat te Dominus novum hominem, qui secundum Deum creatus est, in justitia et sanctitate veritatis. ℟. Amen.

Ad Habitum:

Domine JESU Christe, qui dixisti: Jugum meum suave est, et onus meum leve, praesta quaesumus, ut hic famulus tuus sic istud deportare valeat, ut possit consequi tuam Gratiam in praesenti, et gloriam in futuro. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Ad Capucium:

Pone Domine Capucium salutis in capite ejus ad expugnandas diabolicas frandes. Per Christum Dominum nostrum ℟. Amen.

Digitized by Google

Ad Chordam :

Praecingat te Dominus cingulo puritatis, et extinguat in lumbis tuis humorem libidinis, ut maneat in te virtus continentiae et castitatis. Per Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

Quo induto porrigat illi candelam accensam, dicens :

Accipe, Frater charissime ! lumen Christi in signum immortalitatis tuae, ut mortuus mundo Deo vivas. Exurge a mortuis, et illuminabit te Christus ℟. Amen.

Postea vertat se Sacerdos ad Sacramentum, et Novitio existente in inferiori gradu genuflexo, dicat clara voce :

℣. Salvum fac servum tuum.
℟. Deus meus sperantem in te.
℣. Mitte ei Domine auxilium de Sancto.
℟. Et de Sion tuere eum.
℣. Nihil proficiat inimicus in eo.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Majestatem tuam Domine, suppliciter exoramus, ut famulum tuum, cui de tua gratia praesumentes nostrae Religionis habitum imposuimus, digneris inter discipulos tuos virtute ex alto induere, justitiae lorica munire, et salutis protegere vestimento, ut intercedente B. Francisco Confessore tuo sub humilitatis veste tibi perseveranter deserviens ad stolam immortalitatis, et gloriae pervenire mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

OREMUS.

Domine JESU Christe, qui B. Petro Apostolo tuo, significans, qua morte clarificaturus esset Deum, praedixisti, per alium in senectute ipsum fore cingendum, famnlum tuum fratrem nostrum, quem cingulo nostrae fraternitatis praecinximus, tua, quaesumus, charitate praecinge, tui Nominis metu salutari constringe, et chorda cor ejus regulari

Digitized by Google

alliga disciplinae, ut tua ei opitulante gratia solutus et liberatus a mundo, tuoque vinctus servitio in Ordinis, quem assumit, observantia usque in finem jugiter perseveret. Qui vivis et regnas in saecula saeculorem. ℟. Amen.

OREMUS.

Deus, qui mira Crucis Mysteria in B. Francisco Confessore tuo multiformiter demonstrasti, da huic famulo tuo, ejus piae devotionis semper exempla sectari, et assidua ejusdem Crucis meditatione muniri. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Quibus dictis Sacerdos in medio Altaris, genua flectendo, intonabit: Veni Creator Spiritus *etc.*

Hymnus.

Veni Creator Spiritus, mentes tuorum visita, imple superna gratia, quae tu creasti pectora.

Qui diceris Paraclitus, altissimi donum Dei, fons vivus, ignis charitas, et Spiritalis unctio.

Tu septiformis munere; digitus paterne dexterae, tu rite promissum Patris, sermone ditans guttura.

Accende lumen sensibus, infunde amorem cordibus, infirma nostri corporis, virtute firmans perpeti.

Hostem repellas longius, pacemque dones protinus, ductore sic te praevio, vitemus omne noxium.

Per te sciamus da Patrem, noscamus atque Filium, teque utriusque Spiritum, credamus omni tempore.

Deo Patri sit gloria, et Filio, qui a mortuis, surrexit ac Paraclito, in saeculorum saecula. Amen.

Qui dum a Religiosis alternatim cantatur, omnes Fratres ad medium Altaris procedentes, coram Venerabili Sacramento genua flectant, ac deinde Novitium in infimo Altaris gradu genibus flexis existentem ad sanctae pacis osculum recipientes singuli dicant: Pax tibi Frater! *moxque singuli in suum locum sese recipiant, et completo Hymno statim sequentes versus cantantur a Cantoribus, respondentibus aliis:*

℣. Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.
℟. A templo sancto tuo, quod est in Jerusalem.
℣. Post partum Virgo inviolata permansisti.
℟. Dei Genitrix intercede pro nobis.

Digitized by Google

℣. Ora pro nobis Beate Pater Francisce.
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Deinde Sacerdos cantet:

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere.

Concede nos famulos tuos, quaesumus Domine Deus, perpetua mentis et corporis sanitate gaudere, et gloriosa Beatae Mariae semper Virginis intercessione a praesenti liberari tristitia, et aeterna perfrui laetitia.

Deus, qui Ecclesiam tuam Beati Francisci meritis foetu novae prolis amplificas, tribue nobis ex ejus imitatione terrena despicere, et coelestium donorum semper participatione gaudere. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Cantores cantent:

℣. Benedicamus Domino. ℟. Deo gratias.

Postea Sacerdos benedicat Novitium, et adstantes, dicens:

Benedicat vos omnipotens Deus, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. ℟. Amen.

Deinde habeatur sermo actioni conveniens ad Decretorum praescriptum. Quo finito, et Novitio nomine imposito, quod Sanctorum sit, ut hac pia, salutari, et perpetua sui nominis recordatione salutariter excitatus, cujus nomen gerit, ejus virtutes, pios mores, et egregia facta studiose quidem, ac sancte imitetur; et demum benedictione adstantibus data, Novitiorum Magister Novitium accipiat, et ad barbitonsorem deducat, ut religioso more juxta probatam Religionis consuetudinem ei clericalis corona, vel laicalis circulus apte fiat.

Quo autem die quis Religionis habitum susceperit, memoria fiat in libro, ad hoc specialiter ordinato; ac praeterea Provincialis admoneatur, ut ejus jussu singula referantur in librum, in Provinciali Archivio perpetuo servandum.

Digitized by Google

B) Ritus recipiendi Novitios ad Professionem in Ordine Fratrum Minorum.

Novitius, qui qualitates ad Professionem requisitas habuerit, pridie, quo profiteri statuit, peccatorum suorum diligentem Confessionem faciat et mane sequentis dici sanctissimum Eucharistiae Sacramentum devotissime sumat. Postea hora stabilita Familiae Fratres universi et singuli campanae signo convocentur, quibus capitulariter congregatis, Superior, vel alius a Ministro Provinciali ad id delegatus, Alba, Stola, et Pluviali pro temporis et Officii ratione convenienti indutus, egrediatur ad Altare una cum Religiosis Conventus, et in sella opportuno loco coram Altari sedeat. Deinde Magister Novitiorum, aut alius, Iuvenem ad Professionem admittendum religiose deducat, eumque ante pedes Superioris statuat genuflexum. Novitium autem Superior interroget de seria intentione profitendi; et an libere profiteatur; an sciat Regulam S. Francisci, ejusque rigorem; et an nullum habeat impedimentum Professionis emittendae. Si ad opportunas has interrogationes recte responderit, mox de sede ipsa pio ac brevi sermone poterit et gravitatem et pietatem et magnitudinem actionis illius et ipsi profitenti, et reliquis adstantibus significare.

Quo finito Superior surgens, et genua flectens solus clara voce intonabit: Veni Creator Spiritus *etc. ut supra pag.* 109, *quo alternantibus Choris, Superior dicat:*

℣. Emitte Spiritum tuum, et creabuntur.
℟. Et renovabis faciem terrae.

OREMUS.

Actiones nostras, quaesumus Domine, aspirando praeveni, et adjuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat, et per te coepta finiatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde Superior iterum sedeat, moxque Professurus ante pedes ejus genuflexus, positis manibus suis inter manus ipsum ad Professionem recipientis, clara et intelligibili voce dicat verba Professionis, prout inferius ponuntur, vel a Superiore primum dicta, ipse eadem recte ac ordine repetat, prout opportunius videbitur.

Digitized by Google

Forma Professionis solemnis.

Ego Frater N. N. voveo et promitto Deo omnipotenti, Beatae Mariae semper Virgini, Beato Francisco, et omnibus Sanctis et tibi Pater, toto tempore vitae meae servare Regulam Fratrum Minorum, per Dominum Papam Honorium confirmatam, vivendo in obedientia, sine proprio, et in castitate. — *In professione simplici additur:* Juxta Decretum Pianum etc. vide pag. 105.

Recipiens vero ad Professionem ei dicat:

Et ego ex parte Dei, si haec observaveris, promitto tibi vitam aeternam. Amen.

Fratres Laici verba professionis dicant in lingua vernacula: Aut slovenice:

Jaz brat N. obljubim in se zavežem Bogu vsegamogočnemu, presveti Mariji Devici, sv. Frančišku, vsem svetnikom in Vam duhovni Oče, ves čas svojega življenja spolnovati vodilo Manjših bratov, po sv. Očetu papežu Honoriju potrjeno, in živeti v pokorščini, brez lastnine in v čistosti.

Duhoven pa odgovori:

Jaz pa, ako boš to spolnoval, obljubim ti namesto Boga, večno življenje. V imenu Očeta, Sina in sv. Duha. Amen.

Aut illyrice:

Ja brat N. obećam i zavećam se Bogu svemogućemu, blaženoj Děvici Marii, blaženomu Otcu Francešku, svim svetim i vam Otče, obsluživati u sve vrěme života svoga pravilo Manje bratje, po Gospodinu papi Onoriju potvrdjeno, živući u pokornosti, bez vlastitoga i u čistoći.

Svećenik na to odgovori:

Ja pako, ako ovo obsluživao budeš, obećam ti město Boga život věčni. U ime Otca, Sina i Duha svetoga. Amen.

Digitized by Google

Aut germanice:

Ich Bruder N. gelobe und verspreche Gott dem Allmächtigen, der seligsten Jungfrau Maria, dem hl. Franziskus, allen Heiligen, und Euch Vater, die ganze Zeit meines Lebens zu halten die Regel der Mindern Brüder, die bestätiget hat der Herr Papst Honorius: zu leben im Gehorsam, ohne Eigenthum und in Keuschheit.

Der Obere antwortet:

Und ich verheisse dir von Seite Gottes, wenn du dieses halten wirst, das ewige Leben.

Im Namen Gottes, des Vaters, des Sohnes und des heiligen Geistes. Amen.

Aut italice:

Io Fra N. faccio voto e prometto a Dio Onnipotente, alla Beatissima Vergine Maria, a San Francesco, a tutti i Santi, ed a Voi Padre, di voler osservare per tutto il tempo della mia vita la Regola dei Frati Minori dal Sommo Pontefice Onorio III. confermata, vivendo in obbedienza, senza proprio, ed in castità.

Il sacerdote risponde:

Ed io dalla parte di Dio, se ciò osserverai, ti prometto la vita eterna. Amen.

Quibus dictis statim Cantores cantabunt in sexto Tono sequentem Psalmum:

Psalmus 132.

Ecce quam bonum, et quam jucundum; habitare Fratres in unum. Sicut unguentum in capite: quod descendit in barbam, barbam Aaron.

Quod descendit in oram vestimenti ejus: sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion.

Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem: et vitam usque in saeculum. Gloria Patri etc.

Interim Superior amovebit et abscindet a Novitii Caputio probationis signum.

Digitized by Google

Finito Psalmo Cantores cantent sequentem versiculum:

℣. Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.
℟. A templo sancto tuo, quod est in Jerusalem.

OREMUS.

Deus, qui corda fidelium S. Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere.

Deus, qui per coaeternum Filium tuum cuncta creasti, quique mundum peccatis inveteratum per Mysterium Incarnationis ejus renovare dignatus es; te supplices exoramus, ut super hunc famulum tuum Fratrem nostrum N. qui hodie in hoc sancto templo tuo vanitatem mundi, et pompas diaboli per nostrae servitutis ministerium voto solemni abrenuntiare decrevit, ita respicere digneris, ut spiritu mentis suae renovatus veterem hominem cum actibus suis exuere, et novum, qui secundum Deum creatus est, induere mereatur. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

OREMUS.

